

In. Bild. 1588

1584

Christ. unal. 1584

1582

Christ. unal.
1584

1582

1582



V. 00. A

(alt. Nr. 130.)

unter:

Widerlegung, christl.

nebst weiterem Schreiben.

darunter:

glichenberger, prognosticatio.

K. III. 70.

ANTICHRISTVS
SIVE
PROGNOSTI-
CA FINIS MUNDI.

*Ex Matthæi XXIIII Cap. Daniele &
alijs Scripturæ locis.*

i. Theſſal .v.
Spiritus ne extingatis: prophetias
ne aspernemi

BASILEAE



P R A E T E R loca sacrarum scripturarum quae ad
Prognostica faciunt, habes lector Christiane,
In VII. VIII. IX. Danielis cap. &
In primam & ultimam visiones Ezechielis, Expositiones.
De Sinu Habrahae
De Morte peccati poena
De Inferno Christi
De Duabus legis sententijs
De Resurrectione Christi
De Ascensu Domini
De Pœnitentia, & Christi atque Ioannis baptismatis
discrimine
De Confessione auriculari
De Absolutione priuata
De Sacramentorum iustificatione
An litigare liceat
Expositio in illud Ioannis U. Pater meus vsque modo
operatur & c.
In illud Pauli I. Cor. II. Sic tamen quasi per ignem.
De Prima fide viduarum
De Duplici Dei Imagine
In illud Esaia: Posui verba mea & c.
De Cyro Esaia cap. XLV.
In illud Esa. Verbum Domini manet in aeternũ cap. LII.

Typographus Christiano Lectori S.



ISVS mihi sum, Christiane lector, operæ præ-
cium facturum, si de huius libelli editione pau-
ca quædam præferer: præsertim cum auctoris
nomen non præferat, quod nescio quam suspi-
tionem in hominum animis relinquere videatur. Verum
vti ego credo, non hoc factum est auctoris vitio, quòd eum
pudeat in lucem prodire, sed scribæ potius culpa. Nam ex
huius operis lectione facile deprehendes, hunc, quisquis ille
sit, multo plura & eadē grauissima scripsisse. Quod etiã in
causa fuit, vt cum ante annos aliquot in hæc opuscula in-
cidissem, ea edere noluerim, sperans me reliqua huius ho-
minis scripta posse consequi, & simul etiam auctoris no-
men, quod omnibus præfigerem. Facile enim contingere
potuit, vt qui hæc descripsit, non à principio operis totius,
quod auctoris nomen in fronte vehere solet, cœperit, sed ali-
ud quippiam illius, vt tum commodum fuit, primò descri-
pserit. Verum cum spes me fefellerit hætenus, interim ve-
rò omnia rumoribus bellorum & religionis dissidijs con-
pleantur, impiè & inuide à me agi existimabã, si hæc, the-
sauro quolibet præstantiora, pijs absconderẽ, ac non potius
in tanta eorum calamitate, quasi solator ijs adessẽ. Ni-
ram enim veris Christianis consolationem afferet hic libel-
lus, cū ea iã aduentasse, ac præ foribus, præq̃ oculis esse ostẽ-
dat, quæ cū videremus, iussit Dominus nos leuare capita,
atq̃ à tot vexationib. ac erumnis quibus iam diu premi-
mur respirare atq̃ animũ sumere. Hoc certè si quod aliud

scriptum, hic libellus præstat abunde. Non enim solum docet mirificè quo pacto intelligenda sint de prognosticis finis mundi, deq̃ Antichristo, scriptura noua & veteres: sed & qui hætenus in his alios docentes errauerunt, corrigit, erroresq̃ ostendit, ita vt nihil dubites, hunc assequutum Christi, Apostolorum ac Prophetarum mentem in his prophetis esse. Adde quoque tractationes, quarum indicem secunda pagina leges, rerum diuinarum grauissimas, quas etsi breuissimè expedierit, plus tamen eruditionis, plus ponderis, plusq̃ momenti, plus deniq̃ consolationis allaturæ sunt pijs mentibus, quàm ingentia scribentium volumina tum veterum, tum nouorum: vt verè existimare ac dicere possis, Deum Optimum Maximum, cum omnia ad nostrum commodum dirigat, hoc nobis ad solatiū seruasse ad hæc vsque turbulentissima postremaque Antichristi tempora, vt is confirmaremur, atque aduersus Sathanæ iniurias ac stratagemata, eiusq̃ ministros, cauto inuictōq̃ animo cōtrā perstaremus. Vale & is frue, donec meliora det Deus

pater totius cōsolationis per Christum Iesum.



I
PROGNOSTICA FINIS

M V N D I.



ECVLARES Sophi tempestatū prognostica inquirūt, quanto iustius nos supremum illū redemptionis nostræ diem ex præscriptis Christi signis indagamus? Quæ cum ille non minus amicè quàm fideliter præmonstrarit, uani, adeoq; insani etiam simus si negligamus. Arguebat Iudæos Dominus Luc. xij. quòd aeris tēpestatem obseruarent, tempus verò sui in officium aduentus non obseruarent. Rursus autem prima Petri i. laudantur qui id fecerunt. Vituperandi igitur non sumus nos, qui idem hodie in secundo aduentu facimus. Quis enim non videt quàm utile sit, ne quis imprudens die illo opprimatur, præcauere & efficere, ut illa signorū portenta non modò non terreant, verumetiam iucunda fiant? Quàm iucundum enim sit paulatim ad illum diem per prognostica sibi inuicem succedentia, ceu per gradus quosdam sensim ascendere, nemo nisi expertus credat. Neque verò minimum est Dei erga nos amoris & curæ argumentum, cum diem ipsum & horam indicare nollet, quòd signa proximè præuia præsignarit. Quid enim amplius posset? Curiosè igitur consuli uoluit, quæ tam amicè præmonstrauit. Frustra enim tot uerbis ista egerit Christus, tot scriptis spiritus sanctus, ni sagaciter inuestigari uoluisset: frustra respicere, & capita leuari ad ea iusserit: frustra ficus arborumque parabolam dederit, si diei illius & horæ uicinitas prospici non posset. Sunt igitur prognostica diei istius inuestiganda, & diligenter inuestiganda.

Porrò ut animum huc appellerem multa mouebant: primùm vt signa hæc clariora quàm hactenus fuere, fierent: deinde vt veritati patrocinarer, & ineptas quorundam interpretationes refutarem.

Vellet verò Sathan nos diei huius securos agere, eoque quantum potest, ne inde differatur, vetat: vtiturque huc duabus potissimum machinis. Prior hæc: Ecquis hic tam arrogans qui diem hunc prænosse præsumit, quem Christus ipse sibi ignotum dicit? Respondeo: Signa scimus, deque his loquimur: diem autem & horam nescire nos palàm profitemur. Non ipsum aduentus articulum, sed articuli prognostica erimamur. Consecrandus Cæsar, diem quo Aquisgranum venturus sit, nobilitati, quo se paret, edicit: fit autem non rarò, vt cum luci venturus speratur, multa nocte veniat: statò tamen suo die uenit. Ita Christus cum diem & horam monstrare non posset, proximos dies quo nos præpararemus indicauit. Qui & si die quo speremus statim non veniat, tamen finitis signis continuò venturus est. Faceßat igitur cauillator. Non enim diem ipsum monstrare præsumimus, sed tantùm proximè præuios, quos ut agnosceremus, signis suis effecit Dominus. Quod autem Christus diem hunc sibi ignotum dicit, de humano eius apostolatu intelligendum est. Si enim diem hunc verè ignorabat, què admodum Elizeus mortuum esse puerum, ignorabat: alioqui iuxta deitatem, ita ut pater, omniscius erat.

Sed Psalmo XC scriptum est, inquit, Anni mille sunt coram Deo sicut dies hesternæ: Vanum igitur fuerit signa proxime præuia obseruare. Siquidem procul & propè coram Deo idem sunt. Respondeo: Coram Deo quidem idem esse, sed coram temporaneis

neis hominum oculis non item. Quippe quibus procul procul est, statim statim, prope prope, pro foribus pro foribus, appropinquat appropinquat. Atque autem Deus in hac signorum ratione nobis nostrisque hominum oculis loquitur, nō nos Deo, nec ipse sibi: proinde absit hæc ab doctis inscitia.

Sed addit cauillator, Petrum hoc Psalmsi uersiculo 2. Pet. 3. lo vsus in Iudicij argumento. Respondeo: At non pro eodem argumento. Petrus enim eo loci longam illam mille quingentorum annorum moram futuram prædicit: Christus autem lōginquæ illius moræ finem Matth. 24. præmonstrat. Obuiat enim ibi his Petrus qui in fine seculi mora moti eos viderent, qui aduentum Domini instare ex prognosticis prædicarent: aduersus istos versiculum hunc vehit Apostolus, ne qua mora, quāuis longa, promissionem infirmaret Electis. Quasi dicat Petrus: Promisit quidem dominus se venturum, sed ita statim venturum se non promisit: longa porrò mora promissionem Dei non euacuabit. Apud Deum enim mille anni ut dies vnus. Promisit itaque fore, sed tamen cum promitteret, nondum propè, aut pro foribus esse. Quando autem prope foret, id signis exponit Matthæi x x i i i i. Viden, docte Lector, Petri mentem, vt pro tempore & loco rectè sit vsus illo Psalmsi versiculo. Vnde vides quoque, quam indocti sint, qui eundem nobis, hodie signa illa videntibus obiectant. Inuitis igitur omnibus Sathanæ machinis institutum Prognosticorum tractatum, quo tandē aliquando Petri verbum de illusoribus istis qui aduentum Domini subsannarent impleatur, aggressi sumus. Et hæc quidem hæctenus prælogi vice.

Scripturæ autem quibus hic potissimum utimur,

Matth. 24. sunt Matthæi xxiiii. *Marc. xiii.* Luc. xvii. xviii. &
Marc. 13. xxi. Pauli ii. *Theſſal. ii.* Eſa. xxxxi. Danielis ii.
Luc. 17. 18 Præterea nihil uſquam Prognosticorum in Biblijs in-
et 21. uenias. Nouiſſimorum quidem temporum & resurre-
2. Theſſ. 2. ctionis plurima mentio eſt, ſed Prognosticorum nuſ-
Eſa. 44. quam alibi. Sic enim Spiritus moderabatur Prophe-
Daniel. 2. tas, ut hæc Chriſto nouiſſimorum temporum magi-
 ſtro relinquerent præmonſtranda: tametsi huc multa
 detorta ſint, ut Moſi Enoch, & Malachiæ Helias, & E-
 uangelista Ioannes. denique duodecimum caput Da-
 nielis cum ſuis illis numeris. Sed Eſdras quoque li-
 bro quarto duobus quibusdam capitibus triginta ſi-
 gna ponit: quem librum, quia ſomnia olet, in totum
 miſſum facimus. Scripſit ſuper his etiam incertus au-
 thor Methodius, qui ſpe vana Papistas fallit, dum poſt
 longam eorum afflictionem, tranquillitatem illis ſo-
 lidam repromittit, quam Paulus eis fallacem prædi-
 xit futuram: cum clamauerint, inquiens, pax, & ſecu-
2. Theſſ. 5. ritas, tum ſubitus eis ſuperueniet interitus. Sed eo
 fallacibus ſignis nos tradit Dominus, quòd vera ſua
 ſigna negligamus. Ea quoque quæ à Lactantio phi-
 loſopho conſuuntur, vaniſſima ſunt. Porrò quæ vul-
 garis ille libellus de diutina telluris ac mulierum ſte-
 rilitate ſcribit, ex diametro cum Chriſto pugnant.
 Quòd ſi enim per omnia, teſte Domino, perinde at-
 que in diebus Noe & Loth. acturi ſunt homines, quo-
 modo igitur mulieres ſub finem ſunt ſteriles? Illòne
 tempore ſic erant? Tùmne tellus ſterilis, cum ede-
 rent, commeffarentur, & crapularentur? Quomodo
 crapulæ & ebrietati (quas Dominus regnaturas ſub
 finem monuit) conueniat cum terræ ſterilitate? Pro-
 dijt etiam nudiuſtertius Vincentius quidam Domini-
 canus

cānus centum annis sepultus, mirus somniator. Propheticum sermonem firmiorem esse conuenit, priusquam in eo quiescere fides velit. Nos igitur quid veritas hinc habeat, cum Christo eius assertore videamus: ac primum quidem vigesimumquartum caput Matthæi expendamus.

ET egressus Iesus, discedebat à templo, & accesserunt Discipuli eius, vt ostenderent ei structuras templi.

Iesus autē dixit illis, Nonne videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidē, qui non destruetur. Sedente autem eo in monte oliuarum, accesserunt ad eū Discipuli secreto dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui & consummationis seculi? Et respondens Iesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicētes, Ego sum Christus: multosq; seducēt. Audituri enim estis bella & rumores bellorum, videte ne turbemini. Oportet enim omnia fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gēs contra gentem, & regnum contra regnum. Et erunt pestilentia, & fames, & terra motus singulis locis. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in afflictionem, & occident vos, & eritis inuisi cunctis gentibus propter nomen meum. Et tunc offendiculū patientur multi, & alius alium inuicem tradent, seq; odio habebunt inuicem. Et multi Pseudopropheta surgent, ac seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autē perseuerarit vsq; in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vni-

8

PROGNOSTICA

uerso orbe, in testimoniū omnibus gētibus. Et tunc ueniet
consumatio. Quum ergo uideritis abominationem desola
tionis, quæ dicta est à Daniele propheta, stātem in loco san
cto, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiat ad
montes: qui in tecto, non descendat, ut tollat quicquam de
domo sua: & qui in agro, non reuertatur ut tollat vestes
suas. Uæ autē pręgnantibus, & lactantibus in illis diebus.
Orate autē, ut nō fiat fuga uestra hyeme, neq; Sabbatho. E
rit enim tunc afflictio magna, qualis nō fuit ab initio mū
di ad hoc vsq; tēpus, neq; fiet. Et nisi decurtati fuissent dies
illi, nō fieret salua omnis caro. Sed propter electos decurta
buntur dies illi. Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic Chri
stus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi &
pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita
ut in errorem inducātur, si fieri possit etiam electi. Ecce,
prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est,
nolite exire: ecce in penetralib. nolite credere. Sicut enim
fulgur exit ab oriēte, & apparet vsq; in occidentem, ita erit
& aduentus filij hominis. Ubiq; enim fuerit cadauer,
illic cōgregabuntur & aquilæ. Statim autē post afflictionē
dierū illorū sol obscurabitur, & luna nō dabit lumen suū,
& stellæ cadent de celo, & virtutes celorū cōmouebūtur.
Et tunc apparebit signū filij hominis in celo. Et tūc plan
gent omnes tribus terræ, & videbunt filiū hominis uenien
tem in nubibus celi, cū uirtute & gloria multa. Et mittet
angelos suos cū tubæ uoce magna, & cōgregabunt electos
eius à quatuor uētis, à summis celorū vsq; ad terminos eo
rum

or
50.

FINIS MUNDI.

rum. Ab arbore autē fici discite similitudinē, cū iam rā-
 mus eius tener fuerit, & folia fuerint enata, scitis quod p-
 pē sit aetas, Ita & vos, cū videritis hęc omnia, scitote quod
 propē sit in foribus. Amen dico vobis, nō prateribit aetas
 hęc, donec omnia ista fiāt. Cælū & terra prateribūt, ver-
 ba autē mea nō prateribūt. Caterū de die illo & hora nemo
 scit, ne angeli quidē cælorū, nisi pater meus solus. Sed sicut
 erāt dies Noe, ita erit & aduētus filij hominis. Sicut enim
 erāt in dieb. q̄ precesserūt diluuiū, edentes & bibētes, con-
 trahētes matrimoniu & nuptū dantes, vsq; ad eū diē, quo
 intrauit Noe in arcā, & nō cognouerūt, donec venisset di-
 luuiū, & sustulisset vniuersos, ita erit & aduētus filij homi-
 nis. Tunc duo erunt in agro, vnus assumitur, & alter relin-
 quitur. Dua molētes in mola, vna assumitur, & altera re-
 linquitur. Vigilate ergo, q̄ nescitis qua hora dominus ve-
 ter vēturus sit. Illud autē scitote, si scisset paterfamiliās qua
 hora fur vēturus fuisset, vigilasset vtiq; & nō fuisset pfodi-
 domū suā. Ideo et vos estote parati, quia qua hora nō puta-
 tis, ea filius hominis vēturus est. Quis nā est fidelis seruus et
 prudēs, quē p̄fecit dominus famulatio suo, vt det illis cibū
 in tēpore? Beatus seruus ille, quē cū venerit dominus eius,
 inuenerit sic facientē: amē dico vobis, sup omnia bona sua
 cōstituet eū. Quod si dixerit seruus ille malus in corde suo,
 Cunctatur dominus meus venire, cœperit q̄ percutere cōser-
 uos, imō edere et bibere cū ebrijs, veniet dominus serui illi-
 us, in die quo nō expectat, et hora qua ignorat, & disseca-
 bit eum, partēq; eius cū hypocritis ponet. Illic erit ploratus
 & stridor dentium.

§

PROGNOSTICA

CAPUT igitur istud duplici quæstione constat. Mirantur Apostoli templum, quod Dominus dicit funditus subruendum: Rogant igitur Apostoli quando id futurum sit. Et cum fortasse extremo cum die futurum suspicarentur, obiter addunt quoque (vt est natura futuri curiosa) de fine mundi. Quando & is esset venturus: seu, vt Lucas dicit: Quod signū aduentus tui? In hac igitur gemina quæstione totius capituli argumentum tanquam in cardine versatur. Responsum verò Christi huc vergit, temporum articulos quibus hæc futura sint non dicam, sed signa quædam vnde articulos percipiatis illa exponam. Quanquam dubiū non est Euangelistas omnes sic sensisse, vt Hierosolyma & mundum vnâ putarint peritura. Nam hinc factum est, vt ita omnia confuderint.

Sic igitur teneo. Primam responsi partem, vsque eò, *Cum verò videritis Abominationem desolationis &c.* ad finem spectare, non ad templum. Prognostica tantum quæ hic ponit, illis ante templi excidium temporibus nequaquam conueniunt. Primum enim quod dicit, multos suo nomine venturos, qui dicerent, *Ego sum Christus*. Quando, in quibus id factum est nisi in Papa? qui se palàm pro Christo ac nostro in terris Deo ostentauit, id quod ante templi excidium fecit nemo. Nam vt illud obiter moneam; In nomine Christi venire, ac se Christum dicere, nihil aliud est, quàm Christi regnum titulo, vt sic dicam, Vicariatus vsurpare: quod qui facit, hunc vulgò Locumtenentem vocant, aut clarè & rectè, Christi vicarium. Quod vt ex professo fecit Papa, ita nemo fecit præter Papam. Quod porrò *Multos* dicit venturos, ad numerum Paparum pertinet, non ad Papæ personam, quæ vna tantum fuit
de qua

or
50.

de qua alibi. Vnde & hoc clarum esse potest, de Simone Mago non esse hunc locum intelligendum: dicit enim Multos fore. Adde etiam quod iste non dixerit se Christum esse, sed magnum aliquem, quemadmodum id Acta testantur. Quod autem virtus Dei dicebatur, id nominis ipse sibi non tribuebat, sed populus illum ita vocabat. Dominus autem dicit hos pseudochristos, ipsos sese mentituros esse Christum. Sed nequaelibet Dei virtus dicta Christus est, vnde supra. Pseudochristi igitur isti, soli Papæ sunt, quippe qui soli mentiti sunt, se Christum esse in terris. Per Pseudoprophetas intelligit quoscunque falsos doctores. Stat igitur hanc pseudochristorum agnitionem per Lutheri Euangelium factam, finis seculi prognosticon esse, non templi.

*Papæ pseu-
dochristi
soli.*

Pro maiori autem omnium signorum luce, vnum semel Canonem ponam, omnibus & singulis prognosticis accommodandum: Hunc videlicet, OMNIA HAEC PROGNOSTICA IN COGNITIONE CONSISTERE. Cum enim pro signis consumationis mundi ponantur, signa autem nisi cognoscantur, nobis signa esse non possint, & cognosci nisi per Euangelium non queant: Euangelium autem finali hoc tempore ante Lutherum citra controuersiam nullum fuerit: sequitur igitur omnia hæc signa inchoatum Lutheri Euangelium sequi, non præcedere debuisse. Hunc canonem assume quisquis velis: nam si negligas, nil horum intelliges. Cæterum probare pergamus primam illam partem ad mundi, non ad templi finem pertinere. Quod enim bella hæc, & hi bellorum rumores huc spectent, vel hinc patet, quod dicit, Gentem aduersus gentem, regnum aduersus regnum insurrectu-

rum: quod quidem factum ante Hierosolymorum excidium nullæ testantur historiæ. Quæ enim tum gens aduersus quam gentem, aut quod regnum aduersus quod regnum: quæ denique tum illa tot tantaque bella? Quæ omnia hodie quidem palàm fieri nō videmus modo, verum etiam plus nimio sentimus.

Postremò autem partem hanc primam ad mundi finem pertinere vel hinc colligas, quòd ipsius finis mentionem identidem faciat. Sed, *Nondum*, inquit, *statim finis*, & rursus *tunc finis*, veluti digito monstrans quò dicta ibi prognostica pertinerent. Caterùm ne quis cauilletur vocem hanc *Finis*, de Hierosolymorū, aut templi fine intelligi posse, quæstionis vetat simplicitas. Rogant enim Apostoli, quando Τέλος, hoc est, seculi consumatio. His simpliciter eadē voce responderet Dominus, *Incipientibus his fieri*, inquit, *nondum statim Τέλος*, sed decurso vndique Euangelio, *tunc Τέλος*. Ut iniquus sit, & ter doctus, qui vocem hanc in responso aliorum deflectat à quæstione.

Quod autem prædicationem Euangelij finalem ibi intellexerit, non illam primitiuam, vel hinc patet, quod continuo addit, decurso vndique Euangelio, *tum finis*. Alio qui eum, prædicante adhuc Paulo, finem venire oportuisset, si primitiuum Euangelium hoc loco voluisset intellectum. Euangelium enim primitiuum iam tum viuo dum Paulo, in omnem terram exierat Roman. x. & Colloff. i. His igitur tribus quatuorue argumentis potenter euinco, partem hanc primam ad mundi finem, non ad templi excidium pertinere. Sed & quartæ partis cum prima hac concatenatio sententiam istam multo reddit certissimam: vnde suo infra loco vbi quartam partem dabimus. Neque verò
obstat

Obstat quòd ad Apostolos dicat, *Tradent vos, quasi illo-*
rum tempore ista fuissent euentura. Neque enim ne-
 sciunt docti Scripturæ morem, quæ omnes Ecclesiæ
 omnes vna intelligit clauditque persona, & velut in v-
 num compingit corpus: multi enim vnum corpus su-
 mus, id quod etiam Christus ipse Marci XIII. satis Marc. 13.
 monstrat, vbi omnia signa hac clausula, ceu colopho-
 ne concludit: Quod vobis dico, inquit, omnibus
 dico: quale etiam illud est, quod Christus dicit: Cum
 videritis hæc fieri, respicite, & leuate capita vestra: ec-
 ce enim appropinquat redemptio vestra. Cum ta-
 men certò sciret illos Apostolos eò vsque non victu-
 ros: sed in hac loquendi ratione impios terrere vo-
 luit, suos animare ac consolari spe videlicet finis sem-
 per instantis. Quin & Paulus pari modo loquutus est: 1. Theff. 4.
 Nos, inquit, qui tum residui erimus, cum tamen sci-
 ret, quemadmodum secunda Theffalonicens. II. cla- 2. Theff. 2
 rum est, se cum suis illis Theffalonicensibus eò vsque
 non victurum. Nihil igitur effecerit, qui hoc cauillo
 sententiam nostram vellicarit. Non mireris autem,
 quòd ad priorem quæstionem posterius responderet: ne-
 que enim id adeo nouum est. Quis nescit, Arma vi-
 rumque cano: sed tamen virum ante arma describi?
 Et quid denique refert, propositis tantum duabus quæ-
 stionibus, ad vtram respondeatur prius? Christus ita-
 que suo hinc more, non priorem, sed propiorem prius
 expedit quæstionem. Quòd autem multos dicit affli-
 ctione ista offensum iri, hoc est, fide casuros, adeo vt
 veniens vix etiam fidem sit inuenturus, id non mire-
 ris, si doctorum in docendo imprudentiam attendas.
 Omnino enim ita habet, vt qui defracto vmbilico na-
 scuntur, isti mox vt sanguinem stillant, pereant. Sic

præcipitatum à nouitijs Euangelium, Christianos profert temporarios & indurabiles, decidunt enim ad crucem: quia enim indoctè fundati sunt, afflictionibus ἀποφθαλμειν non possunt. Atque hæc quidem de prima parte, nunc de secunda eiusdem capitis.

S E C U N D A P A R S C A P I -
tis xxiiij Matthæi.

ILLE igitur locus de Abominatione desolationis, vsque eò, *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus:* totus inquam iste locus, de templi tantùm ac Hierosolymorum excidio intelligendus est, vt mirer Commentarios in Matthæum dictos Philippi, in re tam clara hallucinatos. Sed de Abominatione ista fusius infra.

T E R T I A P A R S E I U S -
dem Capitis.

TE R T I A verò pars inde, *Ecce hic est Christus, Ecce illic, vsque illuc, Statim autem post afflictionem illorum dierum,* rursus ad finem pertinet. Describitur autem hac parte, quo in statu Papatus tempore reuelati postremi Euangelij futurus esset. Nam vt dixi in Canone, Signa, signa esse non possunt nisi nota: nosci autem nequeunt, nisi currente Euangelio, propterea quòd spiritus qui annunciat futura, non operatur nisi eunte Euangelio: quod sub finem ex confesso Lutherus primus inuexit. Vnde sequitur hanc partem ad eum Ecclesiæ statum, qui tempore Lutheri Euangelij vigeret, Qualem

Qualem autem Christus prædixerat fore, talem offendimus. Prædixerat pseudochristos fore, qui dicerent, hoc est, mentirentur: *Ego sum Christus*. Id primus quantum ad significationem per Euangelion factum attinet, sine qua, ut dixi, signa non sunt signa, fecit Leo deinde Adrianus, postremo autem Clemens, & quotquot postea sequuti sunt & sequentur. Et hos Pseudochristos in prima parte prædixit venturos. In hac tertia parte eisdem cum pseudoprophetae repetit. Atque hi fuere quidem primi, Sophistæ planè carnales, & tam verbi quàm spiritus contemptores. Secundi Erasmistæ partim rationi, partim spiritui deferentes. Tertij spirituosi virtutis verbi contemptores. Quarti verbi obscuratores. Quinti pro foribus sunt. Isti dicent Christum in deserto aut in cubiculo aliquo latentem ad iudicandum descendisse. Isti sunt qui dicent, Ecce hic est Christus, ecce illic. Horum igitur omnium pseudoprophetarum indicia signa finis sunt. Est autem duplex pseudoprophetarum resurrectio, latens & manifesta. Latens resurrectio illa, signo esse non potest. Cum autem hic pro quæstione resurrectionem signo esse voluerit, de manifesta igitur resurrectione loquutum oportuit. Non manifestatur autem pseudoprophetarum resurrectio nisi Euangelio, quod inde à primitiuo Apostolorum Euangelio, ante Lutherum, ut diximus, nunquam iuit. Ne quis autem Hussiticum euangelium pertinere huc putet, id prohibet, quòd Christus illud Euangelium edicit, quod sub finem per vniuersum orbem esset iturum. Porrò Hussiticum Euangelium Bohemis tantum venit: signo esse non potest: nam commune orbis Euangelium signo esse voluit, non illud vnius gentis. Lutheri Euangelium per or-

bem volat, tum voce, tum prælo.

DE QUARTA PARTE.

Ostremò autem ab eo loco: *Statim post afflictionem*
P*illorum dierum &c.* ad finē vsque, proxima fini pro-
 gnostica sunt, de quibus ait: *Cum hæc videritis,*
 leuate capita vestra, appropinquat enim redemptio ve-
 stra. Illa enim fames, pestes, terriculamenta cœlestia,
 terræ motus, forent initia dolorum. Quorum autem?
 nempe eorū potissimū, quibus cum loquebarur A-
 postolorum: non illorum autem ipsorum quibus tum
 loquebatur, sed illorum Apostolorum qui nouissi-
 mo Euangelio ministrarent. Illos passuros dicit proxi-
 mē post illa pestium, famis, terræ motuū signa. Quòd
 enim hæc sit mens Christi sequentia indicant. Tunc,
 inquit, tradent vos in tribulationem, & occident vos.
Et post afflictionem, istis, inquit, Apostolis illatam, Statim
sol obscurabitur: luna non lucebit: stellæ cadent, & fulmina finē
sui mirandis sonitibus portendent. Committendum est au-
 tem huius quartæ partis initium cum prima parte, vbi
 famem, pestem, terræ motum & bella prædixit futura,
initia, inquit, dolorum hæc. Tunc tradēt vos in tribula-
 tionem. Subiungit itaq; hęc: *Statim autem post tribulatio-*
nem illorum dierum sol obscurabitur. Porro vt ante tribula-
 tionem istam sol sexcenties obscuratus sit, signo tamē
 non fuit. Post, post, inquam, consummatam hanc tri-
 bulationem obscuratus, tum denique signo foret.
 Proin quæ de Ecclipsibus hic Doëtor narrat, nil ad-
 versum, & iucūdiffimum illud signum commento ob-
 nubilat. Paulò potentius tamen hanc vltimæ partis cū
 prima connexionem probare visum est. Scrupulum e-
 nim

nim facit, quòd in ipso capite *αλιφεθ*, id est tribulatio-
 nis gemina fiat mentio. Prior Apostolorum in prima
 parte: altera Iudæorum in secunda parte. Cum igitur
 in quarta parte dicat, Post tribulationem illorum die-
 rum; animus Lectoris iam immemor prioris tribula-
 tionis. & in posteriori illa Iudaica adhuc pendens,
 præsertim cum proximè subsequatur, facilè fallitur.
 Cur igitur ad primam partem spectet, & non ad secun-
 dam, hæc ratio est. Quia enim addidit, Statim autem
 post tribulationem illorum dierum. Palam est autem
 diem Domini, & signa illa finem proximè præitura,
 non statim à tribulatione Iudaica contigisse. Non igi-
 tur de illa tribulatione, sed de primæ partis Apostoli-
 ca tribulatione intelligenda est hæc tribulatio, post-
 quam statim sol obscurabitur. Est enim hic in Græco
 vox illa *εὐθέως*, quæ moræ prorsus impatiens est. Nihil
 igitur conuenit huic parti cum secunda: omnino autè
 ad primam pertinet. De industria autem dominus ita
 disiunxit, vt obscuraret quæ pro tempore sciri nolebat,
 scire autem faceret, cum tempus posceret. Neque
 id hoc loco tantùm fecit, in Daniele vbi spiritus pri-
 mum eius aduentum describit, idem fecit: vbi quum
 ix capite totam hebdomadem qua Christus cum Iu-
 dæis faceret pactum posuisset, scindit deinde hunc ser-
 monem, & duodecimo tandem capite eundem profe-
 quitur. Quod cum nescirent hætenus commentato-
 res, omnes ibi ad vnum falsi sunt, quod & hic in Mat-
 thæo patiuntur. Sunt hæc eiusmodi loca, vt nisi singu-
 lari spiritus impetu expediri haudquaquam possint, &
 eò obscurauit fortasse Dominus, vt postremo tempo-
 re suam in his exhiberet virtutem, & hæc exhibita ma-
 iorem pareret gratiam. Vides itaque Lector, primam,



tertiam & quartam partes finis prognostica esse, secundam templi. Hæc partium quadriga hoc pacto digesta, dominicum responsum, eiusque ordinem sic satis, opinor, illustrabit. Postquam autem de quatuor partibus capituli huius vidimus, de quatuor etiam signorum gradibus dicendum est.

D E O R D I N E S I G N O R U M.

NUNC igitur ad signorum ordinem transeamus, quæ quidem opera, ut difficilis est, ita difficultatem omnem iucunda utilitate compensat. Quemadmodum enim iucundus erat captivus Babylonis Iudæis supputatus ille ad septuagesimum libertatis annum ascensus, & annus quisque tanto gratior erat, quanto septuagesimo propior, ita nobis quoque iucundum fuerit, per distinctum prognosticorum ordinem, ceu per gradus quosdam ad nostrum libertatis diem sensim paulatimque ascendere. Atque omnia quidem signa in quatuor gradus distinguemus. Prima erunt Evangelica: secunda, dolorum initia: tertia, ipsi dolores: quarta, signa illa dolores sequutura. In primo signorum gradu illa sunt: primum Evangelij prædicatio, deinde prædicatorum persecutio, & pseudochristorum, pseudoprophetarumque resurrectio. In secundo gradu sunt, fames, pestes, terriculamenta & signa de coelo magna, bella & rumores bellorum: item terræ motus. Famem autem maximam fuisse constat anno *xxiiii* & *xxv* supra *m. d.* duratque etiamnum. Observatum est autem à prudentibus viris, fami maximas semper plagas succedere: Vnde Lucanus lib. *iiii*.

Sawa

*Sana fames semper magnorum prima malorum
Est comes —*

Pestes autem & fuisse his Lutheri annis, atque adhuc longè maximas, ipsa res indicat. Terriculamenta autè de cœlo vbiq̃ gentium his proximis annis tam enormia visa sunt, quàm vnquã alias. Quæ cum mundo notissima esse possint, mea commemoratione non egēt.

Porro cum Matthæus quē nos præ ceteris sumptimus imitandum, terræ motus ponat doloribus proximis, istud igitur diligētius expendamus, ne fortè præterfluamus, & dolores opprimant imprudentes. Et Luthero quidem in Postilla sua annis ab hinc plus minus nouē in lucem edita, omnia signa iam olim facta sunt, etiã terræ motus. Ego igitur anno xxviii de terræ motu sic sensi: Cum Matthæus cum ponat proximum doloribus euenturum, viderem autem cetera secūdi gradus signa iam pridem ferè completa, monui familiares meos, si quid mea sagacitas valeret, terræ motum proforibus esse. Et ecce anno xxxix, cum iam essem in eius expectatione, Dux Bambergēsis toti Concilio Spīrensi perscribit, enormes terræ motus contigisse Ventijs, Florentiæ & circumcirca locis admodum viginti. Sed & anno xxxi Olyssopoli cōtigisse certò nunciatū est, totis tribus horis. Quare mihi quidem dubium nō est, dolores illos & apostolicā tribulationem proximè adesse. Non dicit autem hos terræ motus (quemadmodum Erasmus malè vertit) per singula loca, sed tantum per loca futuros. Græcismus non fert hoc loco illā singularitatis expositionem, quæ tātum ibi locum habet, vbi distributiū est sermo, qui hoc loci nullus est. Quemadmodum etiam Actorum v. scriptum est: Affe-

rebāt Apostolis infirmos *κατὰ πάλαιας* vt hīc nō quadret per singulas plateas vertere, ita neq; hoc loco per singula loca. De natura autē terræ motuū sic scribit Plinius: Nec verò simplex malum est terræ motus, nec in ipso tantū motu periculum est, sed par semper aut maius ostentum in eo est. Nunquam vrbs Roma tremuit vt non futuri alicuius euentus prænuncium esset. Et anno ante Punicum bellum terræ motus septies atque quinquagies Romam nunciatus est. Ita terræ motus isti traditionis Apostolorum erunt prænuncij. Ac proinde fieri non debebant nisi doloribus istis iam iam instantibus: alioqui si multis annis aut longo tempore antè venirent, quomodo pro dolorum initijs acceptarentur? Non igitur de quibus vis terræ motibus, sed de istis tantū loquitur, qui sub hanc istorum traditionem essent vèturi: An autem plures etiam præterea venturi sint nescio, venire enim queāt adhuc, tametsi verbo satisfactum est.

Iam de bellis istius gradus pauca etiā dicenda sunt. Prædixerat Esaias capite quinquagesimo nono haud obscuris verbis, Dominum, in sulis (Romanæ ecclesiæ dominum intelligit, Papam videlicet) vicem redditurum, quòd veritatem tanto tempore prodidissent, & nouissimè restitutam etiam impugnarent. In sulis, inquit, vicem reddet: & timebunt qui ab Occidente sunt nomen domini, & qui ab Ortu solis gloriam eius: cum venerit quasi fluius violentus, quem spiritus domini cogit. Vnde & Paulus suam prophetiam aduersus Papam mutuatus est, vbi eisdem ferè verbis rem exponit.

2. Thess. 2. Quem Dominus, inquit, consumet spiritu oris sui. Quod autem id ante mundi finem fieret, satis Prophetia significat cum dicit, id obstupefacturum totū mundum

dum ab Oriente vsque ad Occidentem: quod quidem non fieret, si non sit Oriens aut Occidens. Vnde & Paulus hanc Antichristi consumptionem finis prognosticū statuit, quemadmodum id suo infra loco videbimus. Hoc enim Esaias solus habet, quod etiam tempus quo id fieret indicauit. Cum venerit, inquit, quasi fluius violentus, quem spiritus domini cogit: & cum venerit Sioni redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Quod cum sine Euangelio non fiat, & Romanæ insulæ præsidēs id tanto tempore profligarint, vt manus Domini abbreviata videri posset: restitutum igitur ante finem oportuit Euangeliū, quod redimeret Iacob & Sionem ab iniquitate. Hoc igitur Euangelium cum venerit, veniret autem sub finem quemadmodum dominus dicit, tum insulis vicem reddet. quod & factum est: sed tum demum factum mirearis, si id quod de fluio violento dicit, cum facto Borbonij conferas, vt ille alacriter ac subito Romam & oppugnarit & expugnarit. Cum Esaias igitur Christus consonat, vbi dicit, Euangelium prædicandum, & bella simul secutura. Nec hoc fortasse tacendum est, quod quum id Papæ fatatum esset, vt pateretur victoriam: Gallus autē prohibere vellet ne fieret, videlicet, quia Gallus ^{id est maxime} simul cum Papa passus est. Ita vides, vt pulchrè Christus & Paulus cum Propheta conspirent, vtque acutè illos inspexerint. Postremò autem & hoc monendum erat, fortasse Daniel capite secundo, cum Esaias pulchrè conuenire, cum iste vltionem ceu castigationem tantum dicit accepturum Antichristum, ille lapide illo (de quo postea) sine manibus de monte abscisso cum aduentu Domini prorsus abolendum. Et Paulus vtranque hanc prophetiam vno versiculo e-

narravit: quem Dominus, inquiring, consumet spiritu
oris sui. Hoc enim Esaias hinc futurum signavit. qui e-
nim consumitur, non statim in totum absumitur: ex Da-
niele sumpsit quod adiecit: & abolebit illustratione ad-
ventus sui. Illos glossatores laudo, qui vno versiculo
expediunt duos nodosissimos prophetarum locos: nunc
nostri magistri vix multis paginis, operose etiam cor-
rumpunt Prophetas. Ex predictis hoc quoque colli-
gere est: victorem sanè Turcā ante traditionem hanc in
Germaniam non peruasurum: si faceret videlicet tra-
ditores vnā cum tradendis auferret: post traditionem
autem inuasurum non metus. Post afflictionem enim
istam, nouissima illa solis & lunæ signa statim vnā cum
fine ingruent. Quod autem rumores etiam bellorum
futuros dicit, id anno superiori in bello Hessiaco com-
pletum potissimè vidimus. Erat id belli satis acriter af-
fectum quidem, sed tamen in merum rumorem eua-
nuit: sed & totus mūdus hodie belli rumorib. clangit.

Tertius porro gradus ipsorum dolorum, ipsiusque
afflictionis esto. Hos dolores Apostolorum fore antè
vidimus. Deditur autem ibidem & huius tertij gra-
dus rationem: vnde hinc supersedebimus. atque huc si-
gni, mea quidem sententia, iam nunc peruentū credo.

Quartus & vltimus gradus est signorum elementa-
lium in sole, luna, stellis, in firmamento & aquis. Con-
tingent hæc autem subito post peractam tribulationē.
Vt demus autem tribulationem hanc (tametsi meo iu-
dicio iam nunc pro foribus sit) sed demus adeo incer-
tam esse, vt ad annum vnum diuinatione assequi ne-
queamus, hoc tamen mihi certissimum est, Dominum
ijsdem mensibus cum illis elementalibus post dolo-
res signis ad futurum. Dicit enim de illis signis: *Et tunc*
vide-

Videbitis filium hominis venientem. Postremum autem omnium prognosticorum erit vexillum, seu signū filij hominis: quod cum apparebit, tum statim aderit: quemadmodum congressurus cum hostibus princeps, vbi signum pugnae erigit, illico pugna committitur. Ita Dominus cum illa Danielis statua (vnde infra) subito congre-
dietur, vbi signum hoc eius cum suo regno manifestabitur. Quod autem Solem & Lunam dicit obscuratum iri, non sic intelligendum est, quasi tum deinde perpetua eorum futura sit obscuritas: sed enim ad tempus tantum negabunt lumen, vt facere solent cum quippiam significant: quemadmodum etiā in morte Christi. Duabus igitur aut tribus horis plus minus ista luminis priuatio durabit: deinde suo more ad finem vsque recurrent: quemadmodum Genesi *vi i i* scriptum est. Sed & Christus dicit: Videndum postea suum signum in aere: quod quomodo videamus, si luminaria illa in totum sint obscurata? In consolationem piorum haec scribimus, ne grauiora in hac obscuritate suspicentur, quam in morte Christi. Quod dicit autem, *Virtutes caelorum commouebuntur.* Significat totum firmamentum cum omni militia caelestis exercitus, syderum videlicet & stellarum motum iri, & quasi tuinam minaturū. Deinde addit: *Resonabit mare & fluctus.* Postremo loco autem, *Videbitur signum filij hominis: Tum verò plangent omnes tribus terrae, & mox cum Archangeli tuba aderit Dominus.* Tum plangent, inquit, cum hoc signum viderint: quasi dicat; caetera omnia signa contemnent impij, hoc solo tandem mouebuntur. Et tum illi timebunt quidē: vos contra gaudete, & capita leuate. Christianos enim cautio decet, non timor. Signum autem hoc filij hominis nihil aliud est, quam vexillum quoddam Christi, qua-
d

le conflicturus præferre solet. Non dubium est autem quin vexillum crucis futurum sit, quale Carolus Magnus vsurpabat, quod Labbarum vocabatur. Tametsi autem ipse Dominus certum diem nesciuit, hoc tamē sciuit, statim sub hoc signum seculum exiturum: atque hoc nobis quoque indicauit: *Tunc, inquit, videbitis filium hominis venientem in nubibus celi.* Ratio enim militaris, vt dixi, postulat vt prælium continuò sequatur erectum signum. Quomodo autem appariturus sit iudex, non est mei instituti, qui tantum prognostica præsumpsi illustranda. Si quis tamen scire velit, videat Paulum ^{1. Theff. 4.} prima Theffalon. quarto & quinto, & secunda Theffalon. primo. Et prima Corinth. xv. Tunc fiet sermo, qui scriptus est, *Ponet omnes inimicos suos scabellum pedum suorum, sicut in diebus diluuij, & Sennacherib.*

Atque hic quidem prognosticorum & numerus est & ordo: quorum fidem Dominus, ne quis vel vnum omittere putaret, duobus etiam sigillis obsignauit. *Amen dico vobis, non transibit generatio hæc, hoc est, mundus (sic enim Gen. 11. capitur) antequam omnia (intellige memorata prognostica) fiant.* Et rursus quasi interpretatus quid per generationem voluerit: *Cælum inquit & terra transibunt, verba autem mea non transibunt: intellige de his prognosticis facta.* Quantum porrò gaudij sigilla hæc fidelibus afferant, dici non potest. Quid enim, an non consolatorium maximè putes, certò scire diem illum ante solis & lunæ obscuracionem, ante firmamenti motum, postremò ante vexillum visum, non posse venire? Quantum denique, quantum voluptatis hic sic digestus signorum ordo in se habeat, ij demum senserint qui obseruabunt. Sed ratio ordinis nunc quoque paucis videnda est.

R.A.

RATIO ORDINIS.

QVOD igitur Euangelium primo loco posuerim, hinc factum est, quod Christus dicat: *Ante omnia hæc iniicient vobis* (id est Apostolis & discipulis meis) *manus.* quod vt fieret, scilicet Euangelium ante omnia missum oportuit. Euangelion enim parens Christianorū est. Porro discipuli vbi sunt, ibi Euangelium antecessisse necesse est: atque hinc factū est quod Euangelium primo loco positum sit: Cætera signa deinde sese locant.

Nunc diuinum plectendi morem huc quoque refert adnotare. Priusquam Deus condemnet aut perdat, vt misericors est & æquus iudex, quos perdere vult antè reos peragit, monetque vt resipiscant. Est enim iustorum iudicium prius reum agere, quàm punire. Ita primū mundum cum vellet perditum, diuum præmisit Nohen, sed non iudicabat spiritus eius in homine, quia caro erat. Cum Sodomam perdere vellet, præmisit Loth: cum Pharaonem, Mosen: cum Iudæam prophetas: cum Niniuem, Ionam. Iterum cum Iudæā perdere destinasset, Christum præmisit & Apostolos, quos quum audire nollent, perierunt. Sed & Romano Imperio suos præmisit Apostolos, sed contempserunt: vnde & deleti sunt. Postremò autem cum nostro etiam tempore diuisum illud Danielis regnū (de quo postea) velit deletum, monitores præmisit Lutheros. Quod autem Lutherani Papistis sunt, id illis ego sum. Sed monentes cōtemnunt Papistę & occidūt, nec peccatum agnoscūt: Christū persecuūtur, reatū tamen fateri nolunt, quamlibet accusentur. Citantur igitur testes Moses cum Prophetis, Christus cum Apostolis, &

tamen nil promouentur. Quid igitur reliquum est, nisi ut decapitationis sententia proferatur: eaque ut in omnibus Dei iudicijs ἀπμιδική in hanc formam: En tu inique rex Christum meum regno & vita spoliasti: tu igitur vita & regno spoliator. Huius exemplum habes Matthæi xxi, in parabola occisi ab agricolis filij. Primum enim misit seruos & filium: in quem deinde, dū occidunt, impingunt. Sequitur igitur eorum iudicium idq; ἀπμιδικόν: Malos, inquit, male perdet. Porro quosdam ante aduentum perdit: quosdam cum aduentu perditurus: de quibus dicemus, si prius de abominatione desolationis exequamur. Ex his omnibus prudens lector satis, opinor, percipit, primas in prognosticis Euangelio dādas esse, ut petrae positus præeat impactionem. Quomodo enim impingas in petram, nisi antè sit petra? Impactionem deinde antimisthica sequitur plaga. Postremò autem id quoque hinc vides, Christianorum persecutionis finem, esse afflictionis aduersariorum initiū: quemadmodū etiā, Petri III. scriptū est: cū enim nos passi erimus, tum in ipsos Dominus erecto signo irruet: quemadmodum scriptum est: *Statim post tribulationem illorum dierum. & c.*

DE HIEROSOLYMORUM AC
Templi excidio: necnon & de Abominatione desolationis.

NUNC altera quæstio superest de euertendo tēplo. De qua quidem nil hīc eram dicturus. Quid enim ad finalia prognostica? Sed tamen hinc ut certiora quedam percipi possent: neue aliorum detorque-

queantur, perstringenda etiam hæc erant. Mundi finē Dominus (vti vidimus) multis cauit prognosticis (sic enim necesse fuit, cum suo cuique tempore difficile creditu sit, tam elegantem mundi machinam ita funditus interituram) at templi excidium duobus tantum signis præcauit: vno longinquo, abominatione desolationis, quod Mattheus ponit: altero ipsius obsidionis: hoc Lucas dedit. Ne porrò, vt quidam fecit, alienam quandam & incertam abominationem fingeremus, ad Daniëlem nos remittit Dominus. Igitur quod Daniel hinc habeat, videamus.

POSTERIOR PARS CAPITIS
IX. DANIELIS.

Cumq; adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, vt prosterne-
re preces meas in cōspectu Dei mei, pro nomine san-
cto Dei mei. Adhuc me loquente in oratione mea, ecce
vir Gabriel quem videram in visione à principio, cito vo-
lans, tetigit me in tempore sacrificij vespertini. Et docuit
me, & loquutus est mihi, dixitq; Daniel, Nunc egressus
sum vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precū tua-
rum egressus est sermo: ego autem veni vt indicarem tibi,
quia vir desideriorum es: tu autem animaduerte sermo-
nem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades ab-
breuiatæ sunt super populum tuum, & super urbem san-
ctam tuam, vt consumetur præuaricatio, & finem accipi-

at peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia
 sempiterna, & impleatur visio & propheta, & vngatur
 sanctus sanctorum. Scito ergo & animaduerte: ab exitu
 sermonis vt iterum adificetur Ierusalem, vsque ad Christū
 ducē, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duae
 erunt: & rursus adificabitur platea & muri in angustia
 temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur
 Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est.
 Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce
 v̄turo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta de-
 solatio. Confirmabit autem pactū multis hebdomada una,
 & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium:
 & erit in templo abominatio desolationis: & vsque ad cō-
 sumationem & finem perseverabit desolatio.

E X P O S I T I O

Capite igitur nono sic ait: Confirmabit autem pactum
 (Euangelij) multis hebdomade vna, hoc est, toto se-
 ptennio prædicabitur Euangeliū in Iudæa. Chri-
 stus enim tribus annis cum semis prædicauerat: Apo-
 stoli à Resurrectione totidem. Et in dimidio hebdoma-
 dis deficiet hostia & iuge sacrificium. Oblato enim &
 prædicato vero illo agno (de quo cap. VII) cessarunt
 illæ legalium sacrificiorum vmbrae. Quorsum enim
 vmbrae, vbi corpus adest? Et erit in templo abominatio de-
 solationis, & vsque ad consumationem & finem perseuera-
 bit desolatio. Abominatio desolationis hîc nil aliud est,
 quàm

quàm ipsa Euangelij, seu regni dei ex synagoga fugatio & exulatio. Vnde male Lutherus transtulit cum *Wüsten greuel* vertit. Nam *greuoliche Wüstiung* vertere debuerat. Idem enim est abominatio desolationis, quod abominabilis desolatio: non autem abominatio desolabilis. Hæc porrò vnde sic dicatur infra videbimus. Hæc autem finita illa hebdomade contigit huic synagogæ. Cum autem xii capite omnia ista de abominationis tempore clarius & certius prosequatur propheta, opere precium duxi illud quoque, ne cum numeris suis ad extremam diem, quod quidam fecerunt, detorqueatur, explicare.

CAPUT XII DANIELIS.

In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt vsq; ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et multi de his qui dormierunt in terra puluere euigilabunt, alij in vitam eternam, alij in opprobrium vt videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas eternitates. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia. Et vidi ego Daniel, & ecce quasi duo alij stabant: vnus hinc super ripam fluminis, & alius inde ex alia ripa fluminis. Et dixi viro qui e-

rat

rat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis, vsque
quò finis horum mirabilium? Et audiui virum qui indu-
tus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum eleua-
ssset dexteram & sinistram suam in caelum, & iurasset
per viuentem in aeternum: quia in tempus & tēpora, &
dimidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio ma-
nus populi sancti, complebuntur vniuersa haec. Et ego au-
diui, & nō intellexi. Et dixi, Domine mi quid erit post
hec? Et ait, vade Daniel: quia clausi sūt sigatiq³ sermones,
vsq³ ad praefinitū tempus. Eligentur & dealbabuntur, &
quasi ignis probabuntur multi: & impie agent impij, ne-
que intelligent omnes impij, porro docti intelligent. Et à
tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita
fuerit abominatio in desolationem: dies mille ducēti nona-
ginta. Beatus qui expectat & peruenit vsq³ ad dies mille
trecentos triginta quinq³. Tu autem Daniel vade ad praefi-
nitū: & requiesces, & stabis in sorte tua in finem dierum.

E X P O S I T I O

Er de cohærentia quidē huius capituli cū nono superi-
us diximus. Dicit igitur ppheta. In tēpore illo, scilicet
dimidiæ illius hebdomadis, cū defecerit hostia &
iuge sacrificiū: cōsurget Michael princeps magnus, qui stat pro
filijs populi tui: & veniet tempus (iucundū & mirabile) nā
afflictionū tēpus hic neq; legi, neq; intelligi potest, ta-
mersi hebraica hodielectio falsò, vt & alia nō pauca, sic
habet: sed neq; vetus tralatio sic habet. igitur mirabiliū
tēpus intelligo de quib. infra: Vbi quāto tēpore mira-
bilis

bilia illa duratura sint rogat. Veniet igitur tēpus quale nō fuit
 ab eo cū gentes cœperunt, hoc est, ab initio mūdi. Tale tēpus
 veniret post dimidium hebdomadis occiso Christo.
 Quippe enim Christus à Resurrectione, spiritu ale suū
 regnum nunquam in antè in mundo visum excitaturus
 erat, mirabile certe tempus redditurū. Atq; hoc regnū
 proferre cepit in lucē ipso Penthecostes die per Cephā. Act. 2.
 Quod de hoc tempore loquatur sequentia etiam con-
 uincunt: *Et in tempore illo seruabitur populus tuus omnis, qui*
inuentus fuerit scriptus in libro. hoc est quod Actorum XIII Act. 13.
 Lucas dicit: Et crediderunt quotquot præordinati
 erāt à Deo. Est hic prædestinationis locus salutis basis,
 initium & finis. Vnde & David, Beatus, inquit, quem
 delegisti & assumpisti, habitabit in atrijs tuis. Et Rom
 XI, Electio accepit, cæteri excæcati sunt. Allusit huc Rom. 12.
 Christus, In hoc gaudete, quod nomina vestra scripta
 sint in cœlis. Vnde & Coloss. I. Paulus inquit, Euāgelij Coloss. 1.
 mysterium reuelatū est sanctis, quibus Deus reuelari
 voluit. Quemadum etiam Esaias IIII. scriptum est. Me Esa. 4.
 minit & huius prædestinationis libri Moses, ex quo de-
 leri pro populo suo orabat. *Et (intellige in tēpore illo*
dimidiæ hebdomadis) multi de his qui dormiunt in terra pul-
uere, euigilabunt alij quidem in vitam æternam, alij in opprobriū.
 Non intelligo hoc de ijs qui moriente Christo reuixe-
 runt. Ea enim vel Matthæo teste, non nisi sanctorum
 corpora erant: hic autem quosdam etiam in opprobriū
 euigilatos dicit. Non intelligo igitur de corporali
 euigilatione, sed de spiritali & euangelica. de qua Pau-
 lus: *Expergiscere qui dormis, surge à mortuis & illuce-* Ephes. 5.
scet tibi Christus. Hęc suscitatio est qua per fidē resur-
 reximus cū Christo in Baptismate. Id qd' pspiciens spi- Coloss. 2.
 ritus, pluraliter dixit de resurrectione Christi: *Viuisi-* Osee. 6.
 e

Ioan. 5.

bit nos post duos dies, & in tertia die suscitabit nos. Excitatio hæc nostri cum Christo facta est, sed nobis quidem per Euangelij vocem de qua Christus: Amen amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit illi qui me misit, is habet vitam æternam: nec in condemnationem venit, sed translatus est de morte in vitam. Deinde velut ex proposito istum Danielis locum ac tempus interpretatus addit: Amen amen dico vobis, veniet hora & nunc est (videlicet de qua Daniel XII) quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Intelligit autem hęc eam mortem & vitam vnde antè dixerat, spiritualem seu Euangelicam, non corporalem: nam de communi resurrectione subiungit: Nolite mirari hoc, quia veniet hora vt omnes qui in monumentis sunt &c. Quod igitur dicit, qui credit in me non gustabit mortem in æternum, non de morte corporali, sed de morte damnationis intelligendū est. Proinde hoc quod fideles vitam habere dicit, de spiritali fidei vita intelligendum est.

Pro maiori autē luce huius sententiæ sciendū est: Omnes nos natura mortuos damnatosque esse, mortique huic innatos propter sententiam Genesos I: Quandoque peccaueris, morte morieris. Cum igitur in peccato concipiamur omnes, & innascamur etiā, in morte igitur & damnatione nascimur. Proinde natura omnes sumus mortui, hoc est, damnati: quemadmodum scriptum est: Ergo omnes mortui eramus, videlicet, sententialiter, de quo alibi dictum. Verum hæc mors (quemadmodum etiam corporalis) domino tantum somnus est, vnde excitare quos vult sola voce, hoc est, euangelij verbo potest: Quare dormire & iacere in puluere, hoc loco spiritaliter posita sunt: & tandem

Gen. 2.

2. Cor. 5.

tundem valent, quantum damnatum, mortuum, & peccato sepultum esse. Cum essetis mortui per delicta, cō- *Ephes. 2.*
 uiuificauit vos vnā cum Christo, & coexcitauit, simulq; sedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Quo in loco Paulus verbo excitandi sic vtitur, vt ad hunc Danielis locum alluisse videatur. Nemo igitur absurdum existimet, quòd hīc iacere seu dormire in puluere, de spiritali morte spiritaliter intelligimus, nō de corporali. Sic enim sæpe Paulus, sæpe Christus vsus est. Neque verò nesciant docti scripturæ propheticæ morem, quæ sic de anima & spiritu mortuis his vocibus à mundo petitis loqui solet. Sic Esaias: *Esa. 26.*
 Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: Expergiscimini & laudate qui habitatis in puluere. Et xxxxi: *Or. 4.*
 Nolite timere qui mortui estis ex Israel. Ad eundem modum mortua illa Ezechielis ossa intellige. Ipse enim addit: *Ezec. 37.*
 Ossa hæc vniuersa domus Israel sunt. Adeo enim corporaliter mortui non erant, vt ipsimet dicant, Aruerunt ossa nostra. Et quod Daniel hīc dicit in puluere dormire, Zacharias in tumbis & in vmbra mortis sedere vocat. Quam denique euigilationem Daniel vocat, hanc Zacharias illuminationem ad viam pacis appellat. Proinde conuenienter scripturæ facio, dum Danielem hoc loco de spiritali morte & euangelica per fidem resurrectione intelligo. Sic enim Ioan. v *Ioan. 5.*
 Christus ipse interpretatur: Sic Paulus & omnes prophetæ locuti sunt.

Ne quem autem offendat, quòd quosdam etiam in opprobrium excitandos dicit, cum Euangelio non nisi in vitam (vt apparet) excitet: Ac proinde ad communē hæc resurrectionem pertinere, qua tam mali, quā boni pariter sint excitandi. Sciendum hīc igitur Euangelium duplices semper discipulos excitare, bonos & malos,

sicut rete illud traxit pisces: Non quod opprobrium & mors ista in ipso sit Euangelio, sed in auditore: id quod Christus in parabola seminantis monstrat, ubi duplicem terram vni semini tribuit: Cecidit, inquit, in bonam terram bonum semen: cecidit etiam in malam terram bonum semen. Mala terra sunt qui ad tempus credunt, inquit, sed tempore tribulationis recedunt. Excitantur autem mali non ut persistant, sed ut probos tentent. Creauit, inquit Esaias, fabrum ad sufflandum: Quemadmodum etiam Paulus: Postquam omnes quidem currere dixerat, qui Christo per Euangelium nomen dederat, subiungit: Oportet haereses esse, ut qui probi sunt innotescant. De quibus etiam I Ioan. II. E nobis profecti sunt, sed non erant de nobis. Quemadmodum antea etiam Sophonias dixerat: Nugas eorum qui in legem peccarunt colligam, quoniam ex te erant. Vide verò quam clarè hos in opprobrium excitandos. Ephesijs precauet Paulus: Surgent, inquit, è vobis ipsis (qui nunc Euangelio creditis) lupi graues, qui non parcent gregi. Vides hos Euangelio quidem excitatos, sed in opprobrium ut seducerent. De quibus etiam Philipp. tertio: Complures ambulant inimici crucis Christi. Excitados quidem vides adeo ut praedicarent quoque Euangelium: id enim hic ambulare vocat, sed in suam ipsorum condemnationem, quorum, inquit, finis, perditio, quales erant Hymenaeus, Alexander & Philetus. Habuerant enim isti fidem, sed naufragium fecerunt. Tales denique sunt omnes pseudoprophetae, qui currente Euangelio excitantur: de quibus Matth. XXI III: Exurgent Pseudoprophetae multi, & seducet multos: Cuiusmodi hodie sunt plerique omnes qui propter inutiles quaestiones sectas faciunt. Excitati sunt quidem omnes Euangelij voce è puluere.

2 Cor . 11.

2 Ioan . 2.

Philipp . 3.

Matth . 24.

or
70

pulvere veteris Adę & peccati, sed in opprobrium, dum
 (quemadmodum Paulus de Hymenæo & Phileto di-
 cit) abnegato domino qui eos mercatus est, inducunt
 hæreses. De his & illud intelligendum est: Tunc offen-
 diculum patientur multi: Et illud potissimum: In ma-
 gna domo sunt vasa varia, alia in honorem comparata,
 alia in contumeliam. Vocat Ecclesiam, illā magnā do-
 mum Christianorum, qui excitantur quidem omnes,
 sed non omnes in gloriam: nonnulli enim & in ignomi-
 niam. Et Ioan. v r, multi Euangelio excitati fide cadunt,
 apostoli perstant. In his sunt quoque illi Hebr. v r. isti
 enim & Christo & sibi opprobrio sunt, dum (quemad-
 modum spiritus ibidem dicit) Christum iterato cruci-
 figunt *καὶ πάλιν ἐσταύρωσάν τινες αὐτόν.* De his igitur Zizanijs vno in
 agro cum tritico mixtis hanc spirituales excitationem
 intelligo, nō illā communē resurrectionē, id quod etiā
 sequētia fortiter pbāt. Nā Euāgelicę doctrine officium cu-
 iuscertē nullus post iudiciū erit vsus, statim sub necit:
Qui ad iustitiā erudiunt multos, sicut stelle lucebunt: qui verò docti
erunt, sicut firmamentū. De quibus Christus: Vos estis sal
 terræ: vos estis lux mundi: Et David: Coeli, id est, disci-
 puli & Apostoli enarrāt gloriā Dei, & opera manuum
 eius anūnciat firmamentū. Quemadmodū & alibi di-
 cit: Videbo Lunā & Stellas quæ tu fundasti, id est, *θεοδιδάκτους*
tuos. vnde Paulus quoque, Lucete inquit in me-
 dio generationis prauæ sicut luminaria, verbum vitæ
 tenētes. De his inquam Theodidactis præsertim verbi
 ministris, hoc loco vaticinatur propheta. Describit e-
 nim omnino statū Ecclesię currentis, non triūphantis.
 Quòd si autem vno eodemque tempore, omnia
 hæc mirabilia facta esse, ipsa etiam litera teste monstra-
 uero, tum absque controuersia expositionem istam.

Matth. 24.
 2 Timoth. 2.

Matth. 5.

euicero. Dicit igitur: *Vsq̄e quo finis omnium horum mirabilium? Quæ videlicet de salute Electorum: de euigilatione plurimorum, quæ de eruditorum claritate superius dixi: quando, inquam, hæc finem accipient? Et iurauit, tribus annis cum semis duraturam* (id enim significat per tria tempora cum semis) *Et cum peracta fuerit dispersio populi sancti: hoc est Christianorum ab Ierusalem fugatio id quod cum persecutione Stephani factum est.* Atque hinc perspicere licet, quo tempore Stephanus occisus, populus Christi dispersus, atque ab Ierusalem fugatus sit, anno videlicet tertio cum semis post mortem Christi. *Tum enim complebuntur omnia hæc, hoc est tum erit in Ierusalem horum omnium mirabilium finis.* Post hanc enim Christianorū effugationem, inceptura erat in Ierusalem & loco sancto, hoc est in templo, Abominatio illa desolationis, quæ, vt dixi nil aliud erat, quā ex synagoga sibi suisq; mandatis relinquēda regni dei, seu Euangelij fugatio: ab ipso synagogæ facinore sic dicta, quæ hæc abominabilia faceret: hoc est, quæ suis in Deum furijs, templum & temp. Iudæorum Euangelio & regno Dei desolaret: Quemadmodum pulso dei cultu per Antiochum, & dæmonum cultu erecto, abominatio desolationis tum quoque perpetrata est, cap. xi. Nam hoc facere, hoc est, regionem cultu Dei desolare, Deo summè abominabile erat: quēadmodū ibidem dicit: *Polluent sanctuarium, & iuge sacrificium auferent.* Porro hæc Antiochi abominatio desolationis, quemadmodum & illa Hieremiæ Babylonica, contingebat in cultu Dei legalē. Ista autem vnde hic Dominus ait, ea est, quæ à legali populo, in spirituales cultū designaretur. Pulchrè igitur quadrat, fugatis Christianis mirabilia illa Euangelij simul desitura: simul abominacionem

at .s.

or
yo

tionem desolationis incepturam.

Et haecenus quidem quousque mirabilia trium illorum cum semis annorum duratura essent, exposuit. Nunc etiam initium eorundem addit: *A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium: hoc est, à tempore mortis Christi usque ad fugam Apostolorum, quod ipse dicit abominationem desolationis, dies M C C X C.* Totidem enim dies ex tribus cum semis annis emergunt. Fixum itaque ac certum temporis mirabilium illorum initiū ac finem, propheta, ne quis aliorum detorqueret exposuit. Quod autem addit: *Beatus qui expectat, & peruenit usque ad dies M C C C X X V.* nihil aliud significat, quàm illā sub Stephano persecutionē xxxv tantūmodo dies duraturā. Beatitudo autē hęc per cōuersionē Pauli, qui persecutionis dux erat, cōrigit. Sic enim testatur Acta cap. ix, quod cū cōuerso Paulo ecclesiae per totā Iudeā, Galilæā & Samariā pacē habuerint. *Observa autem numerū hunc M C C C X X V. dierum à morte Christi repetendum esse, hoc est à dimidio hebdomadis, non à fine illius numeri M C C X C incipi.* Neque enim à deriuato numero propheta numerat, sed à primitiuo repetit. Hoc tempus & omnia ista mirabilia Zacharias quoque assignauit cap. ultimo: quod cum huc spectet, & à quodam miserabiliter laniatū sit, visus sum operæ pretium facturus, si illud quoque paucis recognoscerem.

PARS PRIOR CAPITIS.

Zachariae ultimi.

Ecce dies Domini veniet, dicit Dominus, & diuentur
 Espolia tua in medio tui. Et congregabo omnes gentes

ad Ierusalem in praelium, & capietur ciuitas, & vastabitur domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi nō auferetur ex vrbe. Et egredietur Dominus & praeliabitur contra gentes illas: sicut praeliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarū qui est contra Ierusalem ad orientem. & scindetur mons Oliuarum ex media parte sui ad Orientem & ad Occidentē prae ruptu grandi valde, & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vsq; ad proximum: & fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in dieb. Ozia regis Iuda: & veniet Dominus Deus meus, omnesq; sancti cum eo. Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies vna (quæ nota est Domino) non dies neq; nox, & in tempore vesperi erit lux. Et erit in die illa: exhibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare nouissimum: in æstate & in hyeme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit dominus vnus, & erit nomen eius vnum. & c.

E X P O S I T I O

Describit hoc capite propheta, quæcunque vltimo suo capite descripsit Daniel: nempe primum illū primitiuæ Ecclesiæ statū. Vocat autem ipsam ecclesiam Ierusalem, Dicit igitur Ecce dies domini venient, dicit

dicit Dominus, & diuentur spolia tua (ò mea ecclesia) in medio tui. Idest, prædicabitur tibi Christus, qui vnus est tibi quicquid ad salutem spectat. (quod Daniel dixit, prædicabitur pactum hebdomada vna) quod cum videbit Synagoga concitabitur in te. Hoc est quod dicit: *Congregabo omnes gentes contra Ierusalem in prælium*: non quemadmodum Lutherus putat contra Ierusalem externam, sed aduersum Ecclesiam Christi, quam hîc Ierusalẽ vocat. & *capietur ciuitas*, id est Ecclesia: & *vastabuntur domus*, & *mulieres violabuntur*. Hoc Paulus in partem fecit. Non intellige autem hîc vastationem mulierum externam, sed fidei. Sequitur enim: *Et egredietur media pars ciuitatis* (ecclesiæ) *in ciuitatem*: hoc est, quemadmodum paulo post dicit: *Fugient ad gentes*: id quod etiam factum est in prima illa Stephani persecutione. *Et reliquum populi non auferetur ex vrbe*: Apostoli enim non fugerunt, sed discipulis fugientibus isti manebant in Ierusalem, quemadmodũ id videre est Act. viii. Quod autem reliquos permansuros dicit in Ierusalem, satis declarat, ista de expugnatione Titi non posse intelligi. Titus enim nil reliquit. Quod autẽ Lutherus illud, *Nõ auferetur ex vrbe*, sic intelligit, quia mortui in ea sunt peste, fame, gladio, id mihi videtur esse coactum, & sententiæ spiritus obscuratiuum. Subiungit igitur propheta: *Et egredietur Dominus & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis*. Hoc de spirituali pugna intelligendum est, quã discipuli congredebantur cum Synagoga. Omnis huius vehementis pugnæ vnum in Stephano exemplum dedit: vnde & in Euangelio dixit, sese illis affuturum Spiritu suo, daturumque os & sapientiã, cui non possent resistere omnes aduersarij: quemadmodum & de Stephani sapientia restatur

spiritus: Non poterant resistere spiritui qui loquebatur per eum. De isto certamine hunc ego locum intelligo: firmantque hanc etiam sententiam sequentia: *Et stabunt pedes eius in illa die super montem Oliuarum*, id est, super Ecclesiam, quæ verè est mons vnctionis spiritus sancti: stabit autem super hunc montem, hoc est, roborabit eos spiritu sancto: quemadmodum id Acta restantur factum. Neque verò hoc stare domini vanum quiddam est: sed stat Dominus super suos, sicut gallina super pullos suos, vt foueat & defendat, vt aspiciat & animet. *Et scindetur mons Oliuarum ex media parte sui ad Orientem & ad Occidentem ruptura grandi valde*: id est, cum sic potenter ecclesia stabit aduersus Synagogam, tum cõgregabuntur omnes gentes aduersus sanctam Ierusalem quemadmodum initio capitis dixit: *Et capietur, & vastabitur ciuitas*, id est, Ecclesia. Et egredietur media pars ciuitatis (Ecclesiæ) in captiuitatem, alij autem manebunt in vrbe: hoc ipsum est, quod hîc dicit, *Scindetur mons Oliuarum*, id est, Ecclesia: tantaque ruptura scindetur, vt terminos suos sparsurus sit iste mons per vniuersum terrarum orbem, per Aquilonem & Meridiem. *Et fugietis ad vallem montium meorum*. Hîc se ipsum propheta explicat. Dixit montem Oliuarum, id est Ecclesiam, rumpendum, & sparsurum suos amplexus per extremos fines terræ circumcirca. Ita enim fingit propheta, quasi si mons aliquis diuidatur: deinde media pars explicaret suum amplexum in ambitu per totam meridionalem plagam, id est, per medij mundi fines. Altera autem pars montis septentrionem complexa, occurreret suis extremitatibus illi alteri parti explicatæ per alteram meridionalem mundi partem. atque ita mons ille totum orbem tanquam murus complexu suo

suo concingeret. Deinde fingit totum orbē eius montis esse vallem, in qua valle Apostoli longē lateque à Synagoga tuti forent, id quod & factum est. Nam persequente Ecclesiam Synagoga, illa se ad gentes conuertit. Et fugietis ad vallem montium meorum, id est ad omnes gentes, quas mons ille oliuarum (quem iam ex diuisione montes vocat) complexu suo suam sibi vallē fecit. Et ne statim metuerēt ibi quoque persecutionē, addit: *Quoniam coniungetur vallis montium ad proximū.* Hoc est proximabunt se vobis, & proximē coniungent se, & vos accersent etiam vtrō. Id quod & ipsum in Actis completum videmus: potissimum tamen vbi gentibus ille Centurio Petrum accersit, visumque adeo adorat. Deinde & Samaria statim statim à persecutione ista Stephani accepit verbum, & huc Philippus se recepit primū. Dein etiam Petrus & Ioannes eodem concessere: sic vallis gentium coniungere se coepit cum monte Oliuarum, hoc est, cum ecclesia Iudæorum. *Et fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Ozia regis Iuda.* Hoc sic factum esse testantur Acta cap. viii, quæ sic habēt: Facta est autem in illo die (occiso Stephano) persecutio magna aduersus ecclesiam, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ præter apostolos. *Et erit in die illa* (id est, in illo ipso tempore) *non erit lux, sed frigus & gelu.* Sic vocat illos dies quibus summē feruebat persecutio, quo tempore Stephanus occisus est, & Saulus Damascū grassabundus petebat. Sed non multo post intepuit ipse persecutionis feruor, ita vt neque omnino securi essent, neque prorsus vt antè desperati. Nam occiso iam Stephano, Apostoli etiam manere ausi sunt Ierosolymis. Atque hoc illud est quod dicit: *Et erit dies vna quæ nota*

est Domino, cum neq; planè dies neq; nox erit. Quod autem in Actis legitur, ecclesias vbiq; summā statim pacē habuisse, conuerso Paulo, hoc ipsum est quod hīc dicit: *Et in tempore vesperi erit lux*. De quo tempore Daniel ait: Beati autem qui peruenerit vsque ad dies M C C C X X X V. Hanc pacis felicitatē Zacharias hīc multis verbis prosequitur: *Et erit, inquit, in die illa exhibunt aquæ viuæ de Ierusalē, mediū earū ad Orientē, medium ad mare nouissimū: hoc est, euangeliū dispergetur per Iudæos discipulos, quos Ierusalē vocat, in vniuersū terrarū orbē. In aestate & hyeme erūt istæ aquæ: hoc est, nō extergētur sole æstiuo, neq; gelu brumali, sicut lacunis solet accidere. Tales erunt enim prædicatores, qui nulla aduersaria vi reprimi possint. Dominus enim aperiet his aquis aggeres, vt perumpant virtute multa: ideo dicit: *Exibunt aquæ*: non enim poterunt ne exeant prohiberi. Hos aggeres ipsa met Synagoga reclusit, dum extergere aquas studet. Et hæc quidem in Zachariam obiter dicta pro Danielis confirmatione. Mirum verò quos ludos hic quidam facit, dum quæ nil intelligit, tamen magis ita obliuit, vt dicere se ipse verum putet. Quidquid huius est, sic illi profitenti in os retorsissem, si cōmunis iuisset propheta. Verum hanc cum parum ex laude sua futuram prospiceret, ecclesiam suis falsis insanijs falli, quā veritate pasci maluit.*

Postremò autē quod Daniel dicit: *Clausi sunt signariq; sermones vsque ad tempus consumationis*: clausuram hāc intelliges intellectui factam: sed phrasis est, claudere & signare sermonē, pro finire seu obsignare: inde ducta, quòd qui epistolam aut aliudcunque scriptū absoluit, is id deinde, quo maioris fidei apud lecturos sit, affixo sigillo consignat. Et tempus istud consumationis

mationis quousque? Signatos fore dicit sermones, non seculi, sed ipsorum sermonum consumationem intelligit. Quasi dicat: Nunc ista scribuntur tantum, & scripta seruabuntur, hoc est facta implebuntur: quemadmodum capite nono dixit: Complebitur visio & prophetia. Hoc addere visum est, ne quis opinetur id voluisse spiritum, ista nunc sub consumatione seculi intellectum iri.

NUNC RURSUS AD
Matthæum.

DESOLATIONEM itaque hanc, hoc est, regni Christi fugationem suis pro fugæ signo ponit Dominus, ut cum qua pessimum deinde tempus ad urbis usque expugnationem futurum esset Ierosolimis, cuiusmodi venire conueniebat, ubi pro vno dæmonio fugato redibant octo. Spelunca latronum fit regio, ubi pulso Christo regnant dæmonia, pro euangelio hominum decreta. Hic enim mera latrocinia, seditiones, cædes: hic denique vera vastatio est, & quæ corporum, & quæ animarum. Quid enim aliud fieret, ubi tota regio diabolis est propinata? Hoc dæmoniorum in Iudæa regnum totis triginta annis & plus eo durans abundè descripsit Iosephus. Consulit igitur suis dominus, visa abominatione, quæ post tres annos & semis à morte Christi veniret, fugam capeffere, si non vnà cum alijs vellent perire. Docemur autem hic Ierosolimorum exēplo abominationē desolationis regioni in qua est, exitiū portendere. Neque tamen statim abominatio ista desolationis est, ubicūque euāgelium non est, sed ubi fuit & pulsum est: unde & desolationis dicitur, ut antè visum est: ut viduatus non est nisi ubi antè fuit coniugium,

alioqui coelibatus non viduatus dicendus. Proinde hic ordo voluitur, abominatio desolationis semper sequitur euangelium, abominationem vastatio sequitur. In secundum gradum admissus Sathā, mox in tertium affectat viam. Itaque euangelium malum semper regioni cui mittitur omen est, quā huius dumtaxat: electos enim eripit, deinde totam perdit. Synagoga & Romanum imperium exemplo esse possunt. Sic postquam Lutheranos deleuerit Cæsariatus, tum illi irruet lapis ille Danielis II. sicut scriptum est. *Statim autem post tribulationem illorum dierum tenebrabitur sol, & videbitur signum filij hominis, & cum signo Dominus. Ut verum appareat quod scriptum est in Prouerbijs: Defecta prophetia, dissipabitur populus.*

Matth .12.
& 21.

Act .13.

Postremò autem quòd desolatio ista spiritualis regni sit, non secularis, vel hinc colligas, quòd Daniel dicat, eam in templo staturam: Deinde quòd huius illa prognosticon sit. Est autem signum omne signati signū non sui ipsius. Regnum igitur hoc Christi fuerat quidē in Iudæa iuxta Matthæum x i i. Peruenit vtique ad vos regnum Dei, sed noluistis, Matth. x x i. ideoque desolabitur vobis domus vestra, & auferetur regnum Dei à vobis, & dabitur genti facienti fructus eius. Et in Actis, Vobis primū oportuit prædicari. & c. Hæc omnia ad spiritualem desolationem pertinent. Desolatio igitur spiritualis regni, desolationis externi regni signum foret. Tantum habui de abominatione desolationis.

Psal. 59.

Quod porrò Matthæus addit: *propter electos curtabuntur dies illi, iræ videlicet: non de regni Dei electis intelligit, sed de reliquijs Iudæorum, in gentes, vt Lucas ait, dispergendis. Id quod spiritus quoque in Psalmo L I X, tanto antè precatus erat: Ne iugules omnes Domine,*

vt

vt maneat inter gentes populi mei (iudaici) memoriale sed dispelle eos in virtute tua : fac domine , fac in ira tua ne sint, & depone eos. Certum est autem Christianum neminem Ierosolymis ad obsidionem vsque permanfisse . Hic enim & contemptor consilij Christi fuisset , & tentator Dei : vt electis Christianis ibi non opus fuerit, parcito. Parciturum est autem tum impijs, quemadmodū etiam Ezechiel nono, signo T eligūtur in Babylonica obsidione seruādi. Electio igitur ista corporum salutem concernit, non animorum. Proinde & ad corporis salutem pertinet verbum *σωθίσεσθαι* quemadmodum in multis alijs scripturæ locis, vt in psal. Homines & iumenta seruabis domine. Et ad Thimoth. Qui est seruator omnium hominum. item in Mose: Vidi dominū & salua mansit anima mea, id est, non mortuus sum. Quomodo Deus autem per Titum in media cæde insanam militum grassationem represserit, satis ipsæ testantur historiæ. Quod porro Lutherus in concione, quam Castrensem vocat, hos dies tantæ afflictionis, quanta non fuit ab eo quod gentes esse cœperūt, de Turcæ nostri ingrassationibus intelligit, id planè voluntarium est, & authoritatis fiducia dictum. Nunc porro duo loca eodem argumenti pertinentia explicabimus: Alterum quidem ex secundo cap. Danielis: alterum autem II Theff. II. Quorum ille quidem de vtriusque tam Cæsaris, quàm Papæ: hic de ruina Papæ tantum agit. Et exponenda quidem hæc sumpsimus, tum quia prognosticorum proposito seruibant, tum quia Patrum & filiorum quorundam commentis vehementer conspurcata sunt. Sed & Cæsari nostro indubiè gratificaturi, cui tantam credimus insitam animi generositatem, vt prophetica monelam non modo.

non sit aspernatus, sed cum gratiarum actione etiam suscepturus.

SECUNDI CAPITIS

Danielis pars.

TU rex videbas, & ecce quasi statua vna gr̄adis: statua illa magna & statua sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius statuae caput ex auro optimo erat: pectus autem & brachia, de argento, porro veter & femora, ex ære: Tibiæ autem ferreæ: pedū quædā pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tūc contrita sunt pariter ferrum, testa, as, argentū & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusq; locus inuentus est eis: lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Hoc est somnium: interpretationem quoq; eius dicemus coram te rex. Tu rex regum es: & Deus cæli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi. Et omnia in quibus habitant filij hominum & bestia agri: volucres quoq; cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit. Tu es ergo caput aureum. Et post consurget regnum aliud minus te, argenteum: & regnum tertium aliud æreū, quod imperabit vniuersa terræ. Et regnum quartum erit velut ferreum.

quo

quo modo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc. Porro quia vidisti pedum & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur secundum quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum. Quod autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumeret vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testæ & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi quæ vëtura sunt postea: & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius. & c.

EXPOSITIO.

VIDET igitur propheta statuam in quinas diuisam partes, cuius caput videt esse aureum, pectus argenteum, ventrem æreum, crura ferrea, pedes partim ferreos, partim terreos. Iste quinque partes, quinque Monarchias sibi inuicem successuras præsignabant. Nam hoc in primis scire hic refert, prophetam hæc non de vulgaribus quibusque regnis, sed de im-

perialibus tantum Monarchijs, penes quas rerum summa foret, obfignasse. Huiusmodi Monarchiæ à condito orbe sex extiterunt. Prima Assyriorum, secunda Babyloniorum siue Chaldæorum, à qua statua cœpit. Nō tangit enim statua hæc primum illud Assyriorum imperium: quorsum enim attinuisset de abolito regno memorare, cum vis omnis prophetiæ futurorum sit? Quemadmodum ipse etiam Daniel monet: Deus, inquit, ostendit regi quæ futura sunt.

Habet igitur statua paucis quidem hoc pacto: Caput aureum regnum Chaldæorum est: pectus argentum, Medorum & Persarum: æneus venter, Græcorum siue Macedonum: (cuius regni rex primus ALEXANDER Magnus verè venter ille *πρωτοβόρος* extitit) crura ferrea illud solidum adhuc Romanorum erant imperium: postremò autem pedes partim ferrei, partim terrei, novissimum istud imperium signant, in geminos diuisum reges, Papam videlicet & Cæsarem. Et de hoc diuiso quidè pedum regno nobis in præsentia sermo erit. Cetera enim & per se clara sunt, & nil ad institutū facerent.

Primùm igitur de diuisi huius regni origine videamus. *De plantario*, igitur *ferri oriatur*, inquit: Ferrum autem in hoc versiculo, cruris ferrum est, nō pedis. Crus porro ferreum, quemadmodum diximus, Imperiū Romanum adhuc solidum erat. Cæterum plantarium hoc loco non idem est quod planta, ceu plantam pedis dicimus, sed sicut plantam arboris: vnde plantare verbum, & transplantare. Sic capite XI. utitur hac voce. Et stabit de germine radicum eius plantatio. De plantario igitur ferri, siue ferrei cruris, diuisum istud regnum oriri, nil aliud est, quàm ex solido Romanorum imperio aliud quoddam imperium transplantandum esse: vt

fi

si de arbore plantariū rescindas, quod aliò transferas, dein totam matrem arborem perdas. Ita de toto illo ac solido Romano Imperio, plantarium quoddam seruatum est, reliquum totum perijt. Propheta autem solidū cruris imperium vocat illud, quod totum mundum sibi subiugaret: cuius postea Italia & Germania minime quædam particulæ, ceu plantarium quoddam è toto imperij corpore reseruata, diuisum istud pedum de se miserunt imperium omnium mundi regnorum *ἐπισημα.* Transplantatum est igitur diuisum hoc regnum, è solido illo regno, ita vt iam aliud regnum sit factū è solido videlicet, diuisum, ex vnico geminum. Vnde nec administratio eadem mansit, nec idem titulus. Solidi enim illius regni titulus, propheta nomenclatore erat *πανδυνατός.* Quasi dicat, omnidonus, vt quod donaret omnia, & dominaretur omnibus. Hoc dominium quātisper manebat, tātisper crus ferreū erat. Porro solida illa administratione turbata, deinde nouū regnū vocat propheta: nempe diuisum, contritū & transplantatum. Quod si autem nouū regnū esset, titulū quoque nouū fieri oportuit. Diuisum itaque regnum vocat eò, quod transplantatum duobus diuersis regibus esset administrandum: quorum alterum solidum regnum, alterum autem contritum regnum habiturum dicit. Solidum qui iustam imperij administrationem in *P E D E* haberet: contritum autem qui non ita iustam, id est solidam imperij administrationem haberet, sed potius imperij titulum. Administratio enim regno nomen indit: quæ si iusta ac solida est, regnum solidum & re & nomine facit. Contrita autem administratio, contritum etiam regnū efficit tam re quàm nomine. Iustam autem Cæsariatus administrationem in sua Italia & circum sitis

regionibus Papa habet: vnde & solidam diuisi huius regni partem habuisse censendus est. Cæsar autem quia ita solidam administrationem non rexit, sed potius titularem (propter inobedientiam fœderatorum) contritam igitur diuisi huius regni partem habuerit. Ab administratione enim (vt dixi) regnū dicitur vel solidum vel contritum, non ab euentu. Quod dico, ne quis Papæ regnum ideo suspicetur contritum esse dicendum, propterea quòd nunc per Borbonium sit castigatum. Vnde nomenclatore spiritu hic verus horum regum titulus fuisset, Papæ quidem, hic Clemens Papa, diuisi, sed tamen solidi Romani imperij rex ferreus: Cæsaris autem, hic Carolus, diuisi, sed contriti Romani imperij rex famius. Obseruabis hinc autem, propheta teste, Papam non modo spiritualē regem, qui in templo dei sederet, sed secularē etiam regem esse debuisse, ipsoque adeo Cæsare maiore, vt à quo Cæsar contritum haberet regnum: & testa foret ad eius ferrum, de quo inferius plura. Ac tantum quidem de duorum Romanorum imperiorum discrimine, crurum videlicet & pedum, & quantum ad titulum attinebat, & quantum ad administrationem. Porro de hac transplantatione crurum in pedes facta, hoc est de solidi illius Romani imperij abolitione, & diuisi in Papam, & Cæsarem imperij transplantatione & deriuatione, cum nulli hactenus præter *BULLINGERIVM* quicquam dignè tradiderint, visus sum & spiritui, & Danieli, & Paulo, etiam lectori gratum facturum, si prophetica istam cruris in pedem transplantationem impletam fuisse olim, ex huius rapsodia commonstremus.



QVO.

QUOMODO, PER QUOS,

*& qua arte Papa in Romanum
imperium peruenerit.*

GREGORIUS magnus, is qui anno d c. initiatus est pontifex in Epistolis parte septima, Epistola trigesima ad Eulogiū Alexandrinū Episcopū: Equidē inquit, in sancta Chalcedonēsi synodo, & postmodū in subsequētib; patribus, hoc honoris (quod Episcopum vniuersalem Papam vocarunt) decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit: sed tamen nullus eorum vti vnquam vocabulo hoc voluit. Haftenus Gregorius. Vnde satis constat, quod adhuc Gregorij tempore eam authoritatem sibi Roma non vendicavit, id quod canonicis etiam decretis comprobare possumus dist. xciii. cap. Legimus. Et quanquam apud Eulogium se maximē humiliet Gregorius, tamen acerbissimē exostulat cum Ioanne Constantinopolitanorum patriarcha, quod is se vellet agnosci vniuersalem episcopum, Romanae sedi id honoris peculiariter vendicans: qua de re nonnullas etiā epistolas planē anxias, ad Mauritium imperatorem & eius Augustam scripsit, iniquum putans vt eo honore priuarentur successores Petri, cum dictum sit: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Quare haud immerito Gregorius is videtur, qui Romanorum pontificum Monarchiā aut coepit, aut sanē vt à Bonifacio eius nominis i i i auspicaretur, occasio fuit. Nam sic scribit Paulus Diaconus de gestis Rom. xvi ii, cap. v, Phocas extincto Mauritio eiusque filijs, Romanum regnum inuadit. Hic rogante Papa Bonifacio statuit, Romanam

sedem caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana se primam omnium scribebat. Et quamquam Romanus Pontifex hic cæteris esset prælatus, tamen adhuc sui iuris non erat, sed electus cogebatur expectare Imperatoris Constantinopolitani sententiam: deinde Italici Exarchi auctoritatem: denique populi Rom. comprobationem: quem quidem primus manumisit Constantinus imperator eius nominis IIII. Siquidem Sabellicus Enneade VII libro, VI testatur hunc in modum. Constantinus multa animi bona in Benedicto I cernens, statuit, ut quem iam antè Clerus populusque Rom. cum exercitu creassent, is verè vicè Christi in terris gerere videretur. Cum ad id temporis usque Constantinopolitani principes Exarchiue eam ratam pontifici facerent dignitatem. Et hætenus quidem quibus initijs prælusum sit dominio pontificum, nunc verò quibus artibus se penitus extricarint ex Cæsarum imperio: nam Cæsar Pontifici adhuc imperitabat. Exorta est hoc eodem tempore in Græcia hæresis, quam Monothelitarum vocant, ut pote vnam in Christo voluntatem seu naturam asserentium: è qua contentione cum etiam simulacra in controuersiam venirent, Pontifici Cæsar mandauit, ut semel omnia tollerent. Qua in re cum Pontifex consilij inops esset, quippe qui nec obedire vellet, & interim Imperatori resistere non posset, principio ad Rauennatum conuersus exercitum, ipsum ad defectionem sollicitabat. Deinde ad Francorum regis confugit auxilium. De qua re Platina sic scribit: Gregorius I impietati Leonis de simulacris tollendis non modò non obtemperat, verum etiam omnes Catholicos admonet, ne in tantum errorem timore vel edicto principis vllò modo delabantur. Qua cohortatione
 adeo

adco animati sunt Italiae populi, ut parum abfuerit quin alium imperatorem sibi deligerent. Rauennae certè cum alij Imperatori, alij Pontifici obtemperandum dicerent, tanta orta est seditio, vt in ipso tumultu Paulus exarchus cum filio occideretur. Et in vita Gregorij III, cum Imperatori Leoni negocium esset cum Sarracenis, Luitprandus rex Italiae regnandi cupidus exercitum Vrbi admouit. Quare Gregorius Franciae principi legatos misit, qui rogarent vt primo quoque tempore laboranti Romae & Ecclesiae auxilium ferret. Consueuerant autem Pontifices Romani, si quid mali ab externo hoste immineret, auxilia ob imperatoribus Constantinopolitanis petere, quod facere Gregorius noluit ob causas quas antè memorauimus. Iis itaque rationibus accidit, vt tunc primùm tutela Ecclesiae ab Imperatoribus Constantinopolitanis ad Francos translata sit. Hæc ille. Cæterùm cum ad eum quem diximus modum Pontifex astutè in Francorum penetrasset animum, mox sese alia obtulit occasio Pontificibus multò commodissima. Nam cum (vt hætenus) apud Francos non reges ipsi, sed regni nobilissimi quique (Maiores domus vocant, aut, vt nostro tempore, Parlamentum) omnia administrarent. Chilperico igitur rege, Pipinus quidam Pusillus in Parlamento celeberrimus, cœpit animum ad regnum inuadendum adijcere: quòd quo commodius posset, principio quidem foedè principibus & populo adulatur, regem ignauiae ac torporis accusans: deinde Romam mittens Herbipolensem episcopum Burchardum ad Zachariam Romanum pontificem, qui tum magni nominis erat apud omnes, vt is pronuntiaret, Nunquid ipse regio nomine dignior esset Chilperico, qui ignauus.

ocio torperet, ipse verò strenuus, aulae siue Maioris domus praefectum ageret. Atque hic mos regum erat, ut non nisi semel in anno Cal. Maij solio residerent cultu regio ornati, ut vndique venientes audirent legatos, & responsa, quae vel ipsi docti, vel iussi essent, referrent. Quibus completis, mox in villam suam redire cogebantur: erat enim omnis rerum summa penes aulicos. Quare Pipinus Iugurtam verius quam verum dispensatorem aut praefectum egit. Sed Zacharias re ista non modicè lætatus, ut pote qui sperabat sibi arma & auxilia aduersus Imperatorem oblata, mox Pipinum regno dignum iudicauit. Quare Chilpericus in monasterium quoddam includitur: & Pipinus Maguntiae à Bonifacio Episcopo inungitur: sic enim habet Platina: Annuit pontifex eius postulatis, accepti beneficij & beneuolentiae memor, quae inter Pontifices & principis huius familias intercesserat. Atque ita Pontificis auctoritate regnum Franciae Pipino adiudicatur, anno Domini DCCCLIII. Hæc ille. At Pipinus beneficij seu potius proditionis ac fraudis vicissim memor, (nam cum optimus rex fidei datae suum ministrum Pipinum moneret, Stephanus Pontifex qui Zachariae successerat, Pipinum absoluit ab omnibus iuramentis & fide pristina Chilperico data: nō hunc tantum absoluit, verum cæteros quoque qui in fraudem Pipini consenserant) memor inquā proditionis, totus Romani Pontifici deditus, totus ab eo pependit. Imo & Italiam ingressus, vrbes & regna imperatoris cepit, & Romano Pontifici tradidit. Sic enim habet Sabellicus VIII Enneade, libro VIII. Legati Constantini Imperatoris occultè noctu ad Pipinum proficiscuntur, quem in Ticiniano repertum multis magnisque muneribus

ribus sunt adorti vertere. Illud omnium primum postulare, vt Rauennam & cætera exarchatus loca restituenda, quia Imperij, non Pontificis essent, curaret. Negabat Pipinus se Constantino aut cuiquam hominum præter quàm Romanæ Ecclesiæ militare: eoque consilio sic arma induisse, vt apostolicam sedem ab omni iniuria vindicaret. Vtq; Rauennam, & quicquid Longobardi vi & armis subegissent, Romanæ subijceret Ecclesiæ. Græci ergo oratores videntes quid Pipinus haberet in animo, re infecta Constantinopolim regressi sunt.

Pipino patri successit CAROLVS Magnus filius, qui cum à Leone III. Romano pōtifice donaretur Imperatoris Romani titulo, quem fraude & proditione Irenes Augustæ, Constantinopolitanis ignorantibus, apud quos tum Imperij summa erat, acceperat, etiam Carolum sibi totum deuicit, vt templa & aras, & quicquid Pontifex iuberet erigeret. Fuit hic annus Domini DCCCXI. Neque auo Pipino, neque parenti Carolo cessit Ludouicus filius, quem pontificij Pium cognominarunt. Huic enim totum primatum, omnem immunitatem quam vocant ecclesiasticam, omnem Romani Pontificis tyrannidem ferimus acceptam. De qua re non inutile duxi, si adscriberem Raphaelis Volaterrani sententiam Geographiæ libro III, vbi de Pipini ac Carolorum gestis sic scripsit: De pietate Ludouici in Romanos Pontifices multa Bibliothecarius scripsit, ciuitates quas ei dono dedit enumerans: ego quoque ex autographo vetusti libri, quod in Bibliotheca Vaticana continetur, vbi eius narratur donatio, apographū excerpti. IN NOMINE Domini Dei omnipotentis patris & filij & spiritus sancti. Ego Ludouicus Impera-

h

tor concedo tibi beato Petro principi Apostolorum & per te vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici, successoribusque eius in perpetuum ciuitatem Romanam cum sua iurisdictione, omnibusque circa terris ciuitatibus, portibus, à maritimis locis Etruriæ: in eademque mediterranea, Urbem veterem, Balneoregiū Vitarbium, Saonam, Populoniam, Rosellas, Perusium Maturanum, Sutium, Nepe: versus Campaniam, Ananiam, Signiam, Ferentinum, Alatum, Patricum, Frusinonum cum omnibus circa oppidis & vicis: necnon & Exarchatum Rauēnæ integrum: Sicuti piæ recordationis pater Carolus, & item Pipinus auus noster beato Petro dudum concessere: videlicet, Rauennam, Bonuium, Aemiliam, Forum populi, Forumliuij, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Ceruiam: In MARCHIA, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Numanam, Esium, Forum Sempronij, Feretrum, Vrbinum, Territorium Valuense, Callium, Luceolos, Eugubium: In CAMPANIA Soram, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam: patrimoniam quoque ad nostram ditionem pertinentiam, Beneuentanum, Salernitanum, Calabria superioris, & inferioris, ac Neapolitanum: Ducatum insuper Spoletanum, Tuderotriculum, Narniam, reliquaque eius ditionis: Inferi quoque maris Corsicam, Sardiniam, Siciliam: quæ omnia piæ memoriæ Pipinus auus, deinde Carolus imperator genitor noster per Atherium & Ainradum Abbates ad hoc sponte missos, beato Petro eiusque successoribus scripto concesserunt, nos item probamus atque concedimus. Præterea summi Pontificis eligendi Romano concilio potestatem esse volumus, modo sine discordia fiat, ac post consecratio-

nem

onem legati ad nos successoresque reges Francorum, conciliandæ charitatis & amicitiaë causa mittantur: sicut temporibus Domini Caroli atavi, & Pipini aui, & postremò Caroli genitoris nostri mos fuit. Hanc igitur nostram voluntatem scripto & iureiurando firmamus, & per legatum S. R. E. Theodorum, Domino Pascali missimus, manuque propria subscripsi Ego Ludouicus. Subscripsere quoque tres eius filij, Episcopi decem, Abbates octo, Comites quindecim, Mansionarius, Hostiariusque vnus. Numerabatur annus D C C C X X V.

Et Raphael in eo quem citauimus loco, Donationi ista subiungit: Insequenti deinde tempore Otho imperator sub Ioanne XII, in hæc verba se subscripsit: Ego Otho Imperator pro animæ meæ, filijque ac parentum meorum salute, hæc omnia supradicta tibi beate Petre, successoribusque tuis libenter concedo. Anno D C C C. Subscripsere Episcopi decem, Abbates duo, Comites quinque, Optimates octo. Sub Henrico autem subscripsere Episcopi quatuordecim, Abbates quatuor, Duces tres, Comites octo, Optimates octo.

Hæc eo libentius annotare visum fuit, vt ostenderem, Pontifices Romanos, terrenos etiam Romanæ conditionis dominos verè esse. Profectò enim parum prudentes sunt, qui de iusta iniustauè regnorum acquisitione ad vulgus disputant, cum magis an possideant, quàm quomodo parauerint spectandum sit. Acquisitio enim potestatis, res est personalis: at potestas, ipsa est cui parendum est. Iustè enim parauerit, an iniustè, quid ad subditos? Cum hoc, vt dixi, ad personam acquiritoris tantùm pertineat, subditis potestas tantùm

spectanda est, non persona, aut potestatis acquisitio. Sicut scriptum est. Parete dominis vestris etiam discipulis: non est enim potestas nisi à Deo. Si cum Papa Apostolus esse deberet, secularibus se immiscet negotijs, peccat ipse quidem, sed quid mea? Ille viderit ut potestatem suam pararit, utue possideat. Mihi sanè potestas quam habet iste, tam est sancta & adoranda, quàm si optimus aliquis habeat. Quemadmodum scriptum est: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, qualis qualis demum persona sit quæ præest. Quod de Papa dixi, de Episcopis etiam atque Abbatibus dictum volo. Quæ tanto quidem libentius assignavi, ut etiam militiam quæ sub personis spiritualibus geritur iustificarem. Ac què libenter sub spirituali persona militarem atque sub seculari: nam potestas eadem est omnium, tametsi personæ variæ sunt. Iam ego potestatem personæ specto in mea obedientia, non personam potestatis: & illi pareo, quia sic à Deo mandatum est. Etenim potestas gladij supersecularis est, & manet ut maximè persona spiritualis sit. Et peccat quidè spiritualis persona dū bellatur, quæ personæ suæ, quia secularibus se miscet negotijs, quæ potestatis autè sibi commissæ non peccat, sed bene facit. Et hæc quidem obiter, nunc ad institutum.

Vidimus igitur qua via Romani Pontificis imperium ex plantario cruris & cœperit, & adoleuerit: nunc hoc quoque ut ad Germanos pars huius imperij ex eodem plantario peruenerit, videndum est. Anno igitur DCCCCLXII. Gallis in totum à regno Romano desciscētibus, cœpit & Papa aliò spectare. Atque Othonem Saxonix Romanum Cæsarem fecit, sub conditione tamè ut sua sibi porrò potestas constaret, si quando exigere-
tur

tur ratio suarum possessionum: etiam vt haberet cui in-
niteretur . Ioannes igitur eius nominis x i i . Othoni
eiusmodi iuramentum præscripsit. Dist. l x i i i . Tibi
Domino Ioanni Papæ, ego Rex Otho promittere &
iurare facio per Patrem & Filium & spiritum S. & per
lignum hoc viuificę crucis, & per has reliquias Sancto-
rum, quòd si permittente domino Romam venero,
sanctam Romanam ecclesiam & te rectorem eius exal-
tabo secundum meum posse: & vitam aut membra
nunquam, neque ipsum honorem quem habes mea
voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut
mea exhortatione perdes. Et in Roma nullū placitum
aut ordinationem faciam de omnibus quæ ad te & ad
Romanos pertinent sine tuo consilio. Et quicquid de
terra sancti Petri in nostram venerit potestatem tibi
reddam. Et cuiuscunque Italicum regimen commiserò,
iurare faciam illum vt adiutor tuus sit ad defendendā
terram sancti Petri secundum suum posse. Atque hoc
iuramentum exigendi facultatem habet, quemadmo-
dum id canunt eadem iura x i i quæst. i Clericus. Ab
hoc Othone deinceps omnes reges & Cæsares coacti
sunt se Papæ tanquam Domino suo hac iuris iurandi
religione obstringere. Regnante autem Othone i i i in
comitijs decretum est, vt subsequente tempore non
amplius aliquis Cæsaris ex Romanorum linea vel
sanguine in regnum ascisceretur, sed tantum Germani
asciscerentur, & in Germaniæ principum potestate
foret, quem vellent Cæsarem eligere. Atque hoc con-
stitutum est à Gregorio v. & communi concilio anno
post Christum natum m x i . Hinc postea in consuetudi-
nem abiit vt Cæsares suffragijs septem principū Ger-
maniæ Electorum crearētur: atque iccirco rex Roma-



nus, filius Ecclesiæ Romanæ nominaretur.

SED AD DANIELEM

Ex his iam satis clarum esse potest, quomodo diuisum istud Papæ ac Cæsaris regnum, ex crure illo ferreo, hoc est, ex solido priore Rom. regno sit (Danielle teste) transplantatum. Probauimus autem & hoc satis, Papam solidam in diuisione hac partem obtinuisse: Cæsarem autem contritam, eo quod vix plenam vllam Imperij administrationem vnquam habuerit, sed potius imperij onus & titulum, si ad Papæ administrationem spectemus, videlicet enim titulum magis Imperij Papa Germanis concessit quàm imperiũ, idque quæ Italiæ & circa regionum: quemadmodum ex hætenus dictis cuius prudenti potest esse notissimũ. Quis enim non videt, si saltẽm Donationem supra positam spectet, pontifices medullam regni Italię sibi reseruasse, & ossa tantũ Imperij Imperatoribus reliqua fecisse? In Donatione enim Romam ipsam cum omni sua iurisdictione, omnibusq; circa terris & ciuitatibus, & portibus Pontifex habet, quæ quibus non anteferas?

Dicas autem Cæsarem hodiẽ iustum ac solidum regnum tenere, Hispaniarum videlicet, proinde regnũ eius hodie non contritum, sed solidum esse. Respondeo: Hispaniarum regnum non esse Imperiale regnum sed priuatum: qualis erat sub Assyriorum imperio Aegiptus. Porro Daniel in hac statua de cõtrito quodam Imperiali regno loquitur. Hoc iuxta prophetiam contritum hætenus possidet Cæsar. Huc tantummodo Romanũ imperiũ pertinebat, Cæsari certẽ contritum regnum, Papæ solidum. Et hæc quidem omnia facta sunt

sunt, vt impleretur scriptura quæ dicit: Porro quia vidisti partē pedū ferre, & partē terreā, regnū diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, prout vidisti ferrū luto coniunctū cum testa. Et digitos pedum partim ferreos, partim terreos, regnum partim erit solidum, partim contritum. Hæc nunc ex superioribus clara sunt satis. Obserua autem hîc mirabilem illam ac necessariam Dei dispositionem, dum totius pedalis regni potestatem & censum sine titulo Papæ donat: Contrâ autem Cæsari fere sine potestate & censu titulum. Quod nisi factum sit, quomodo insinuare se in regnum potuisset Papa, si titulum quoque Imperij primitus vsurpasset? Adde etiam, quomodo sanctissimus, & iuxta prophetiam, Christi in terris vicarius fuisset vocatus & habitus (quod iuxta prophetiam necesse fuit) si Cæsaris aut Regis nomen ab initio vsurpasset? Quod autem vidisti ferrum cum testa luto ferruminatum, hoc significat: quod commiscendi sint quidem (Papa & Cæsar) humano semine, sed non cohesuri, sicut ferrū cum testa ferruminari non potest. Humanum semen hoc loco fragile illud humanæ amicitie glutinū foedusque significat. Quemadmodum etiam cap. xi dixit, Post finem annorum foederabuntur: Filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, nec obtinebit amicitia illa robur brachij (hoc est firmitatem) nec stabit semen eius, hoc est foedus, seu illud amicitie glutinum non durabit. Quod autem ferruminandas has pedum partes dicit, hoc est, Papam & Cæsarem coniungendos amicitia, nunquam id magis tentatum est, quàm nostro tempore per Carolum & Adrianum, Pedagogus hic, alumnus ille: & tanto amicitie glutino coniuncti, vt ille filius, hic pater audiret. Sed humanum semen erat, & humanum glutinum: quare solutum est

postea in Clemēte. Quēadmodū enim lutū sole adustū
 fathiscit, ita omnia humana firmamenta spiritu dei af-
 flata, subitō soluuntur & corruunt. Quòd verò non
 cohæsueros dicit, inimicitiam quę his nostris annis inter
 hos venit, designauit. Sequitur in textu: *In diebus autem
 regnorum illorum (Papæ videlicet & Cæsaris) suscitabit
 Deus Cæli regnū, quod in æternum non dissipabitur: id est, duo-
 bus istis regibus, regna sua adhuc administrantibus,
 superueniet Christus aduentu suo: vt impossibile sit
 ante finem mundi alterutrum horum regnorum de-
 letum iri. Castigari queant, deleri dum mundus sta-
 bit, non poterunt. Delebit enim ea Christus aduentu
 regni sui, Quod (Christi regnum) nunquā dissipabitur, neque
 alteri populo tradetur. Tum enim semper, erimus cum Do-
 mino, & metemus indefessi. Cōminuet autem & consumet
 vniuersa regna hæc (id est totum mundum) Et ipsum stabit in
 æternum (vnde vita æterna dicitur) Quemadmodum vidisti,
 quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuet
 testam, ferrum, æs, argentum, & aurum: Id est omnia regna
 mundi, hoc est, totum mundum. Porrò lapis iste, quem
 delabi videt, nil aliud est, quàm suscitandū in supremo
 Christi aduentu, regnum Dei, quod omnia mundi re-
 gna aboliturum est. Sic enim dicit: Hoc regnum com-
 minuet vniuersa regna hæc, id est, totum mundum, iu-
 xta quòd vidisti lapidem & c. Atque ista lapidis huius
 præcipitatione Christus & Paulus mutuati sunt, quòd
 dixerunt, diem illum sicut laqueum & fulgur mundo
 superuenturum. Videbas ita, scilicet, stare statuā, donec
 abscissus est lapis de monte sine manibus. hoc est, donec domi-
 nus cum regno suo appareret istis: seu vt hīc dicit: Do-
 nec percuteret statuam in pedibus eius ferro samijs: hoc est, do-
 nec dominus aboleret Papatum, & Cæsariatum. Et
 comminuet*

comminuet eos: ne amplius sint, aut regnent. Tunc contrita sunt pariter ferrum (Papa) & testa (Cæsar). Hoc est quod Paulus dixit: Papam consumendum quidem, hoc est castigandum ante aduentum Christi, sed cum aduentu Domini abolendum. Quemadmodum addit Prophe-
 ta. Et redactæ sunt in favillam æstivæ aræ, quæ raptata sunt v̄to, Alludit ad morem tritrandi Iudaicum, qui & vsurpatur etiam num apud Italos, vbi boues congestas spicas ruri ad ventilantem auram tritulant. Nullusque locus inuentus est eis: Obserua hîc discrimen inter pedum regna & alia quinque regna, Assyrium, Chaldaicum, Persicū Macedonicum, & Romanū illud solidum: Hæc enim quinque sunt, sed & tralata. Ultima autem ista pedum regna delenda tantum ait, non etiam transferenda. Nam hoc est quod dicit pedum regna contrita & dispersa adeo, vt nullus eis locus inuentus sit. Vltimum igitur imperiorum est diuisum istud, Papatus & Cæsariatus regnum, cum quo omnes anticristicæ potestates simul corruent. Tum enim tandē aliquando implebitur illud, quod iactatū est diu: Ruente coelo nulla sub-
 stiterit sepes. Omnia igitur mundi regna peribunt: regnum Dei autem & Christi omnibus mundi regnis superstes erit, stabitque in æternum.

Nimirum huc spectat quoque quod Paulus dixit: Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis.

Quo loco cum Paulus obscurissimus sit, non alienum fore putavi proposito nostro, si hunc locum etiam illustrarem & vindicarem.

2 Tef. 2.
 1 Cor. 15.

CAPITIS XV. EPISTOLAE

prioris ad Corinthios

Expositio.

DICIT igitur Paulus: Deinde finis cum aboleuerit omnē principatū, potestatem & virtutē. Oportet enim eā regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Nouissima autem inimicorum destruetur mors: Deinde tradet (filius) regnū Deo & Patri. Hūc locum pauci intelligunt: neque enim hic de fine mundi loquitur, sed de fine regni Christi. Hanc sententiam cogit particula illa DEINDE, demum venturus sit mundi finis, sequatur omnes istas aduersarias potestates, & Mortem, ante mundi finem esse abolendas: quem intellectum non fert Daniel, neque adeo ipse Paulus. Ipsi enim cum ipso Christi aduentu peritura hæc pedū regna senserūt, & cū eis omnē mūdi potestatem. Quòd si autem cum Christi aduentu demum peribunt, qui videlicet non apparebit, nisi prius abolita mundi potestate & morte (non enim apparebit nisi nobis immutatis, quæ immutatio scilicet, præcedet Christi aduentum) consequitur igitur omnes aduersarias potestates cum nostri resurrectione nobis delendas esse: non post Mundi igitur finem, etiam ipsum ante Christi aduentum contingere oporteat. Tum enim horum finis erit, cum abolebuntur. Dicit autem Paulus, & finem alicuius etiam futurum post omnium abolitionem, & post omnium finem. Non potest igitur hic Pauli finis omnium, illarum aduersariarum mundi potestatum finis esse: alioqui quomodo post illorum finem, deinde rursus finis eorundem? Finis igitur hoc loco non mundi aut aduersariarum potestatum finem, sed regni Christi finem signat: non quidem quæ essentia

riæ regni (nam quâ huius æternum est) sed quâ œcono-
 miæ, quam vt coepit & accepit à patre in die virtutis
 suæ, id est, Resurrectionis: quemadmodû scriptum est:
 Tecum principatus in die virtutis tuæ. Et iam resusci-
 tatus dixit: Ego autem constitutus sum rex ab eo super *psal .10.9*
 Sion. Hanc inquam, œconomiam regni, vt coepit & *et. 2.*
 accepit in die resurrectionis suæ, ita eam finiet quoq;
 & tradet in die resurrectionis nostræ. Tum enim, in-
 quit Paulus, tradet, seu (vt hodie vsitatus cû Horatio
 loquuntur) resignabit regnum (œconomicum) Deo &
 Patri. Hanc œconomiam rationem in regno Christi, pa-
 tralis nesciuit natio. Paulus autem suæ sententiæ fun-
 damentû ex Dauide mutuatus est. iste sic habet. Dixit
 dominus domino meo sede à dextris meis: hoc est, ad-
 ministra regnum tibi pro Ecclesia tua delegatum. Quâ-
 diu? Donec ponam inimicos tuos, id est, omnes aduer-
 sarias sponsæ potestates, scabellum pedum tuorum.
 His enim aduersarijs potestatibus subactis, & sponsa
 iam in totum salua, deinde nullus sit vsus regni Christi
 œconomici. Sed enim fruitio tum aderit, propter quâ
 sponsæ suæ parandam, regnum illud suum inchoarat.
 Istud igitur Davidis *DONEC*, ad finem œconomiam per-
 tinet, quo proinde & Paulus accommodauit. Verum
 huius ignara ista natio, *DONEC* istud cum Hieronymo
 & Augustino infinitè hic positum esse commenta est.
 Hæc uisum est annotare, simul vt scripturas de æterno
 & non æterno Christi regno conciliarem, simul vt non
 intellectum hic Paulum illustrarem. Et est sanè, me iudi-
 ce, hic locus verbi studiosis fallacium omnium fallacif-
 simus, & obscurorum omnium obscurissimus, propter
 densas patrum & filiorum illi illatas nebulas. Sed &
 propterea libentius hæc annotaui, ne quis frustra ex-

peccet ante mundi finem, omnium Christi inimicorum deletionem, quam certè fieri oportet, si ^{Telos} Paulinū de mundi fine hīc intelligamus. Atque hęc quidem hactenus in statuam Danielis: nunc ad promissum superius Pauli locum secundæ Thessal. 11. transeamus: qui quidem & ipse hactenus male intellectus, malas inuenit glossas, præsertim in ijs locis de defectiōe, de templo Dei, & de reuelatione Antichristi, de eiusdem contritione & abolitione: postremò & de spiritu oris domini. In his omnibus locis interpretes omnes hallucinati sunt. Proin operæ precium facturus videbar, si hęc quoque restituerem. Si cui longior videar, corruptoribus imputetur, non correctori. Quia verò huius capituli sententia eadem ferè est, cū iam exposito Danielis loco, præsertim quā pedum regna de plantario ferrei cruris dixit oritura. Proinde vt hīc Paulum rectè intelligas, Daniele[m] vnde Paulus sua habet, fac antè preceperis.

S E C U N D A E A D T H E S S A L.

Caput 11.

R O G A M V S autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi: & nostræ congregationis in ipsum: vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Neque quis vos seducat vllò modo: quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis: qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut

aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Num retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis: vt reueletur in suo tempore. (Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.) Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui: & destruet illustratione aduentus sui, eum, cuius est aduentus secundum operationem Sathanae in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus: & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendicio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

EXPOSITIO

SECUNDÆ huius Epistolæ scribēdę hæc erat ratio: Scripserat Apostolus I. Thess. III in hæc verba: Nos qui residui erimus in aduentu Domini &c. Hoc lecto Thessalonicenses turbabantur, quasi suis illis temporibus Dominus fuisset venturus: Hanc turbam vt fisteret Paulus, secundā hanc scripsit Epistolā. Dicitq;: Rogamus vos Fratres, &c. ne cito dimoueamini à sententia quam de aduentu Domini à me percepistis: neque turbemini per Epistolā quasi à nobis profectam: id enim propter priorem Epistolam iactabatur. Deinde quam eis sententiam exposuisset, suggerit, tria ponens, quæ ante finem fieri oporteat. Nempe solidi illius Romani Imperij, quod Danieli crus

ferreum est, defectionē: Deinde Antichristi reuelationem: Postremò eiusdem administrationem & consumptionem. Quod autem abolitionem eius ponit, hæc prognostico esse non poterat, sicut expugnatio Ierusalem esse non poterat prognosticon eius expugnandæ. Atque hæc quidem capitis summa est. Nunc omnia ista sigillatim videamus paulo pressius, quam quidam hæctenus.

Primùm autem non me latet, plerosque omnes nostro adeo tempore defectionem hanc ad fidem deflexisse. Verùm id hoc quidem loco callidius est & magis factiosum quàm verum. Quòd autem de Romani imperij, hoc est, de ferrei illius cruris (vnde suprà) defectione intelligendum sit, id & propheticæ scripturæ consentaneum est, & ipsius etiam Pauli sententiæ. Omnino enim Paulus hoc loco illud Danielis exponit, quòd pedum regna de cruris ferrei plantario dicit oriura. Neq; verò pedū regna, nisi defecto ferreo crure, reuelari poterāt: quæadmodum hoc ipso loco alijs verbis explanat Paulus, *Quid detineat* (hoc est, quid demoretur Antichristi regnum) *scitis, nempe vt qui nunc tenet, scilicet Romanum istud imperium (illud quod Danieli crur erat) teneat vsque dum è medio tollatur, & reueletur iniquus ille suo tempore.* Sublato enim cruris imperio, iste cum suo pedali regno existeret. Nimirum enim hoc illud est, quod Daniel dixit, postremum istud bipartitū pedum regnum, de plantario ferrei cruris exoriturū. Quam autem hîc sublationem vocat, hanc defectionē antè dixit: vt vim Paulo faciat, qui hæc aliò flectat.

Peculiariter porrò monendus est hîc lector, Reuelationem Antichristi hoc loco, non illam esse quæ verbo fit, dum hodie proditur illius impietas, sed publicam Romanæ

Romanæ sedis & regni inuasionem. Id enim antithesis sententiæ postulat, vt vno deficiēte, alter reueletur, hoc est, in locū defecti subdatur. Cæterum quod Paulus reuelari vocat, id Daniel oriri dixit. Bipartitum inquit, istud regnū de plātario ferri orietur. Opponit autē Paulus duo hæc, Mysterion agere, & reuelari. Mysterion, inquit, adhuc agit, hoc est, nondum reuelatus est, sed dum obscurus priuatusque manet vsque, hoc est, vt olim reueletur. Defecto autem priore cruris rege, tum iste reuelabitur, hoc est, regno initiabitur. Et hæc quidē omnia vt facta sint, superius abunde ostensum est. Addit autem Paulus, *Sessurum in templo Dei*: quibus verbis pseudo Christum forē innuit, vt qui cum spirituali suo regno, etiam animis imperaret, non vti altero illo Danielis regno, corporibus tantum.

Nunc de persona Antichristi videndum est. Vulgus Antichristum vnum hominem putauit futurum. atqui vna persona est Antichristus, non vnus homo. vna enim omnium Paparum persona est, tametsi Papæ multi & varij sint. Error est autem quod personam vulgus pro homine vsurpauit, deuotam personam, pro deuoto homine dicentes. Persona enim propriè non est ipse homo, sed est, quemadmodum Cicero docet in primo libro Officiorum. Quanquam Valerius Maximus libro secundo vulgari etiam more vsus est. Titulus ille quem ex officio, dignitate, uel secta homo induit, siue honestus is sit, siue inhonestus. Ita Carolus homo est, Cæsar autem illius Caroli persona est. Petrus, Ioannes, Iacobus, homines erant, sed apostolus eorundem persona. Ita Clemens homo est, sed Papa & Antichristus eius personæ sunt, omnibus Romanis pontificibus communes. Hoc igitur loco nomina ista, aduer-

Cic. lib. i.
Offic.

Gal. 2.

sarius ille, iniquus ille, ille qui se supra Deum efferet: item, filius peccati, filius perditionis, & filius denique iniquitatis: non vnus aliquis homo est, sed communes omnium Paparum personæ sunt. Loquitur igitur hic de ea Antichristi persona, quæ sublato è medio Cæsare, ipsa Romanum regnum occuparet: quo de suprâ satis. Leuiculum est autem monere has voces, Antichristum, & *αὐτοκρατορῶν* virtute easdem esse. Et tantum quidem de Paparum persona: de cuius regno ex hæcenus dictis liquere id potest, quod duplex sit, gladij & doctrinæ: seu, vt vulgo loquimur, seculare & spirituale. Quod seculare foret in dicta secularium regnorum statua Daniel prophetauit, vbi gemina illa pedum regna diuisum regnum vocat, quia videlicet geminos reges habiturum esset. Quando quidem autem de Imperialibus ibi regnis tantum agitur, vtrosque igitur oportuit reges esse, eosque quos Cæsares vocamus seu Imperatores. Relinquitur igitur Papam secularem etiam regem esse, id quod Paulus quoque innuit, cum eum in defecturi locum successurum dicit. Defecturus autem ille Imperator secularis erat: successionem igitur & successorum eiusdem sedis secularem esse oportuit. Qualis enim sedes est, talis & persona eius est. Neque verò homo sedi, sed sedes homini personam facit: quæ si secularis est, secularem personam efficit. Vt enim homo ipse spiritualis sit, persona tamē in seculari sede, secularis fit & esse debet. Vici igitur cum ex Daniele & Paulum etiam ex ratione & iure, Papam verè secularem etiam regem esse: vt interim de sua illa gladij administratione nil dicam, quæ se ipse nimium secularem esse ostendit. Spirituale autem, siue doctrinæ regnum Paulus illi tribuit, cum in templo Dei sessurum illum,

hoc

hoc est, regnaturū esse dicit. Hoc regnum mandatis hominum, bullis, diris & minis rexit: quæ omnia si parum erant, seculari gladio præsto erat: videlicet, Leontæ vulpinam assuens, & vulpinæ leonem. Hæc de seculari Papæ persona eo studiosius egi, vt sciret mundus Papæ deberi obedientiam æquè atque Cæsari. Quod de Papa dixi, idem & de Episcopis dictum volo, vnde supra.

Porro *Templum Dei* hoc loco pseudonymam Christi ecclesiam vocat, hoc est totam per orbem Christianitatem, non vt isti putant singulorū conscientias. Quia enim sedere, hîc publicæ administrationis verbum est, ideo templum quoque hoc loco communem vocatæ Christianitatis ecclesiam, cui administrando Papa præfidet, significabit. Alio qui enim si singulorum conscientias intellexisset spiritus, nō templū sed templa dixisset tametsi non ignorem, templum etiam pro priuato quolibet Christiano, & sæpe capi & capi posse: vt ad *Corinth: Corpus vestrum templum est habitantis in vobis Spiritus sancti: Et vos estis templum Dei viui: quem-* *1 Corin. 6.*
madmodum scriptum est: Ego habitabo in eis & c. *2 Corin. 6.*
 Attamen quoties de publica Christi vel Antichristi administratione sermo est, vt hic est, tum totam Christianitatis ecclesiam significat, non vnum quodlibet Ecclesiæ membrum. Sic Paulus vtitur: *Conciues sanctorum estis, & domestici Dei, ædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, Iesu Christo summo angulari lapide, in quo VNIVERSA (obserua comprehensiuam vocem) ædificatio (in vnum) compacta crescit in templum sanctum, in Domino, in quo (domino) vos quoque coædificamini in Domicilium Dei. Vides hîc vniuersorum compactionem non templa, aut domici-* *Ephes. 2.*
 k

1 Petri .2.
Ephes .4.

1 Timoth .3.
Cor .12.

Rom .12.

2 Theß .2.

lia, sed templum dici & domicilium: Quemadmodum etiam Petrus, & rursus Paulus ad Ephes: Adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus, in quo totum corpus si coagmentetur, incrementum corporis facit, non dicit corporum. Postremo ad Timotheum Domus Dei est Ecclesia. Et ad Corinthios prima cap. xii, ubi de publica Christi per Ecclesiam administratione agit: Vos inquit estis corpus Christi, non dicit corpora. Sic idem ad Romanos quoque. Ex omnibus his locis satis colliquescit, voces istas, templum, domum, domicilium, corpus, quoties de communi administratione mentio est, ecclesiam per totum terrarum orbem qua verbum vadit, significare, non priuatam vnus cuiusque conscientiam. Cum igitur in secunda ad Theß .ii. de publica administratione mentio fit, Papam videlicet Christi sedem, hoc est, publicum Ecclesiae regnum inuasurum, quemadmodum etiam Christus ipse predixit: In nomine meo venturi sunt qui dicent, Ego sum Christus hoc est: rex & caput Ecclesiae. Satis ergo monstratum habeo, Templum hoc loco non priuatam vnus cuiusque conscientiam significare, sed vniuersam Christianitatis Ecclesiam.

Quæras igitur cum templum Dei dicatur & Christi, ubi tandem Antichristus regnat? Respondeo: Appellatione honoris id fieri, non quasi verum sit templum Dei, qui ecclesia Papæ sunt, sed quia nomen, licet falso vehunt: ideo spiritus tales vocat, quales ipsi haberi & vocari volunt. Sic Iudæos populum Dei spiritus vocat, tamen non essent verus populus dei. Tituli enim dantur, non quod simus id quod dicitur, sed ut curemus esse id quod dicimur. Ita Antichristi ecclesiam, dei templum vocat, non quod verè essent templum dei, sed

sed quia nomen vsurparent & veherent. Falsam hanc personam veritas quoties venit mundo aufert, ni sinat, ipsos vnà aufert. Hunc ludum hodie serio ludit dominus cum nostris principibus, & ludere porrò perget vsque dum aduentu suo, quem maturat, omnes simul extirpet. Id enim debent illi sententiæ Deuteronomij v: Non impune feret qui nomen Dei vanè vsurpat. Huius exemplum videre licet in Ezechiele. In hoc albo Papa facile primas obtinet, de quo sic ait Paulus: *Quem dominus consumet spiritu oris sui, & abolebit apparitione aduentus sui.* Hic scire refert, regnum Christi vno quidem spiritu vehi, sed diuersi tamen officij, gratiæ pro pijs seruandis, iræ autè & vindictæ pro inimicis vlciscendis. Porro pro duplici Papæ regno, duplex quoque consumptio eius fieri debebat. Seculare regnum seculari gladio confectum oportuit: spirituale autem, spirituali verbi gladio. Quorum illud quidem à Cæsare contrita testa: istud ab humilibus hodie prædicatoribus passus est, & patitur etiam nū deus ille *Τερισμύγισος*. Quod autè Scriptura spiritu Dei, etiam in iræ executione vtatur, testis est Hieremias cap. lll: Vidi impios spiritu iræ eius esse consumptos. Et Esaias xxx: Labia eius repleta sunt indignatione, & spiritus eius velut torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum. Quod autem Christus tam iræ quàm gratiæ administrator sit & vindex, Paulus clarè docet prima Corinthiorum xv, vbi ipsumet Christum dicit, omnè principatum & potestatem aboliturum: quemadmodum in Psal. l. scriptum est: Tanquã vas figuli cõfringet eos. Et Psal. cxix: Confringet in die iræ suæ reges. De vtriusque igitur administrationis huius confectio Paulum intelligimus, & seculari & ecclesiastica. Quod enim de seculari,

Deut. 5.

Ezech. 16.

Hier. 4.

Esa. 30.

1 Cor. 15.

Psal. 1.

Psal. 110.

Esaï. 59.

id facimus, primùm Esaias monet, qui id cap. LIX. futurum prædixit. Sed & Paulus ipse huc nos interpretationis impellit. Cum enim hoc capite in vna eademq; Antichristi persona duplicem istam administrationem fore prædicat: æquum igitur est, consumptionem quoque eius de duplici administratione intelligere. Consumptam igitur hodie esto in partem, vtrunque huius regnum, non tamen abolitum. Nam abolebit eum dominus, inquit Paulus, apparitione demum aduentus sui. Monendus est hic autem lector Lutherum interpretando vocem hanc ἀναλῆν, falsum esse, cum eam iugulare Germanicè vertit. Putauit ille ἀνελεῖν esse: atqui in Paulo non ἀνελεῖν, sed ἀναλῆν est. Et illud sanè iugulare est, siue è medio tollere, istud nunquam. Est enim ἀναλῆν Græcis hoc ipsum, quod Consumo Latinis. Consumere autem Latinis, non est, iugulare aut abolere. Neque enim statim in totum aboletur quod consumitur. Consumit tinea vestem, neque tamen continuo abolet. Consumit inuidia hominem, consumit & phthisis, non tamen continuo abolet, aut iugulat. Quemadmodum & Lucanus dixit:

— *Bellis consumpsimus æuū:*

Non dicit, aboleuimus, aut finiuius. Potius enim attenuationem significat, quàm abolitionem. Aristophanes in Pluto pecuniæ accomodauit ἀναλῶ (id est consumo) inquit: Quantum opus est & vsus, rursus parco vt nullus magis. Alioqui si, vt Lutherus autumat, ἀναλῆν istud iugulare sit, quomodo igitur filius iste iniquitatis restet in aduentu domini etiam abolendus, quemadmodum Paulus futurum dicit? Quod enim iugulatum est, prorsus abolitū est. Verū ideo iugulare vertit, vt quadraret cum sua spiritali per verbum iugulatione.

tione. Vnde & hoc illò flexit quod Paulus dixit: Spiritu oris sui, hoc est (vt istis placet) verbo Dei. Sed vt dixi, flexuræ sunt. Nos simpliciter vtranque Antichristi consumptionem intelligimus, & spirituales, & externam: Et illam quidem per restitutum Euangelium: hanc per Cæsaris Borbonium factam: vtranque autem per spiritum Christi, qui vtriusque regni est vindex. Erasmus, Conficiet, vertit melius sanè, quàm Hieronymus, qui interficiet male reddidit. Ergo hoc voluit Paulus, Antichristum hunc atterendum quidem sub Christi aduentum, sed ipso aduentu demum abolendum. Vt enim consumo alicubi plenam absorptionem significet, id ex additis circumstantijs venit petendum: quæ hoc loco, quia abolitio Antichristi, aduentu Domini postea fiet, intelligi non potest. Quo autem hæc prophetiæ particula impleretur: ecce confecto per Cæsarem Papa, aduentu Domini paulo post abolendus relinquatur. Impossibile enim sit Papatum, per Cæsarem aut vllamcunque humanam vim, ante Christi aduentum abolitum iri: vnde & donante Cæsare sedi suæ relinquatur, & relinquatur vsq; dum aduentu domini in totum aboleatur. Ita implentur quidè prophetiæ, sed cæcus mundus negligit: imo ne animū quidè aduertit. Cum igitur consumptus seu castigatus hodie sit Antichristus, certissimū ergo prognosticon esto, diem Domini iuxta Paulum breui affuturum. Id enim vnice hic contra turbatores illos, qui iam tum venturum iactabāt Paulus agit: Non venturū dominū antè consumptū Romanum pontificem, sed post consumptum. Cum igitur hodie sit & gladio & Euangelio consumptus, rectè ergo cum Paulo facimus, qui dominum nunc breui venturum prædicamus. Ac tantum quidem de con-



sumptione & abolitione Antichristi quàm potui distinctissimè.

Gen .2.

2 Theß .2.

Contra Hieronymum autem & qui illum imitantur dicentes, hunc secunda Theß. 2. Antichristum diabolum esse, hoc paucis dicendū erat, quòd quadruplices sint Antichristi, Dæmones & homines: Et in Dæmonibus rursus duplices sunt. Princeps omnium Dæmoniorum Beelzebub nomine, de quo Gen .11. Conteret caput serpentis, id est principatum Diaboli principis: Alteri omnes vulgares diabolisci. Sunt enim omnes Dæmones Antichristi, hoc est, Christi aduersarij, iuxta illud, Qui non est mecum, contra me est. Sed & in hominibus duplices sunt. Vnus summus, de quo secunda Theßal 1 1: alij vulgares, quotquot vnquam restiterunt Christo, & eius verbo: de quibus prima Ioannis 1 1 1 1. Quòd igitur Hieronymus Antichristos confundens, ex illo Pauli Antichristo Diabolum finxit, commentū est. Summa temeritas est, tantum sibi in Scripturam permittere, vt quem illa apertè hominem vocat, tu inde Diabolum facias.

N V N C hoc quoque confutandum videtur, quòd Franciscus Lambertus illum secundæ ad Theß. 1 1. Antichristum nondum venisse ait, sed dum venturum. Absolueram autem scriptum meum, cum ecce Lambertus Apocalipsi sua prodit. Qui etsi meo scripto nondum viso sua illa scripserit, sic aptè tamen obuiat, vt consultò factum putes: volente nimirum Deo, vt vno venatu apros caperem duos. Scribit iste Antichristum illum nondum venisse, sed vèturum adhuc esse, quam propositionem quia perplexè propositam perplexius etiam probat, cogam igitur illius de suo

suo Antichristo sententiam in cōclusiones aliquot, quo breuius quid velit perspici possit.

Primum igitur defectionem illam secunda Theff. 1. (nam hic locus controuertitur) non de ea defectione dicit intelligendum, qua sub prætexto Christi nomine ab Antichristo vehenda sit, sed qua palam, uti re, ita ipsa etiam professione & titulo Antichristi veheretur: hoc est, non foret defectio simulata sub nomine Christi, sed patens uti re, sic etiam nominis professione. Ut quemadmodum nunc audimus Christiani, ita sub illo audituri simus Antichristiani: nec nos tantum qui hodie Christiani sumus, verum etiam totus adeo mundus & Iudaicus & Turcicus idem facturus sit. Atque hæc quidem sic firmat, quia Paulus in genere dixit: Ut iudicentur omnes. Intelligit Lambertus ut iudicentur, id est, ut regantur omnes ab Antichristo. Ut enim iudicari omnes ab eo possint, subiectos antè oporteat.

Deinde ait, cum Paulo teste, Antichristus mysteriū iniquitatis acturus sit, donec auferatur Romanum imperium, quod Lamberto adhuc stat: Ergo publicus ille Pauli Antichristus nondum venerit: quippe quem tūdemum venturum sibi persuasit, ubi sublato Romano imperio, istud iniquitatis mysterion in publicam exierit defectionem: & adeo publicam, ut totus mundus sit illi Antichristo etiam ex professo nomen daturus. Infelix Cæsari nuncius: quippe cui, iuxta Lamberti vaticinium, breui pereundum sit. Dicit enim Antichristum illum suum (quem sublato Romano Imperio venturum imaginatur) breui venturum. Quod si verum sit, sequatur iuxta hunc, Romanum imperium, breui etiam breuius occasum ire. Verum ut ingratum Cæsari, sic gratissimum Papæ facit, qui hæctenus ab euangelicis sugil-

latur, nunc relicta sententia, ab isto rursus hoc nomine iustificatur, ut ne summum illum Archantichristum esse fateatur.

Quæ si vera sint, consequatur, meum Prognosticorum scriptum, non modo infirmatum, sed prorsus conuulsum esse. Siquidem igitur mea vellem salua esse, committere non debui, ut ea mussitarem, quibus stantibus, subsistere mea non possent, præsertim authore illo tanto, quanquam nominis autoritate non fedit, sed rationibus, quas eo titulo cohonestat, quod à Deo esse confidat. Adde etiam quod ista sic incipit, ut vel ex præfatione prophetam simplex lector agnoscat. Sic enim orditur. *Perturbant me nimium cogitationes meæ, & metuo ne apud Deum sim iudicij reus, nisi reuelauero.* In cuius versus hemistichio, illo videlicet, *Perturbant me nimium cogitationes meæ*: agnosco quidem Danielicam præfandi maiestatem. Et præfatio quidem, præfatio Danielis, verum nos amoro paulisper præfationis velo, ad veritatis contem, ipsam expendamus prophetiam. Quo facto tum denique quo spiritu motore turbatio illa concitata sit patebit spero. Et tolerabile fortasse erat quod dicit, *Perturbant me nimium cogitationes meæ*: nimium enim verum est: sed quod addit, *Quas confido esse à Deo*, hanc appendicem illi non concedam. Patibile enim mendacium sit, si non veritatis mantello venundetur, & solum positum, solum etiam sui confusionem aufert: nunc cum Deum autorem facit, hic vindicandus venit, ne unà cō mendacio in eandem trahatur confusionē. Fieri enim nequeat, quin alteruter Christus vel Lamberti, vel meus (nam quæ de Antichristo ex diametro distamus) mentiatur. Fieri præterea non potest, quin ut mendax confundatur, qui contraria dixisse conuincitur

citur. Ut potest autem Deus nil minus quàm mentiri
 (mentiendo enim totam deitatis gloriam semel effun-
 dat) ita nil minus ferre potest quàm mentitus dici. Men-
 titus sit autem, & dici possit, si illa finalia solis, lunę, stel-
 larum, firmamenti, vexilli denique signa, si illa inquam
 iam iam venturus ostendat, & non antè venisset ille
 Pauli (vt Lambertus vult) manifestus Antichristus. Vi-
 dentes enim signa illa dicere Lambertini possint: eo ne
 ante Antichristum illum venturus es Christe? quem
 ante aduentum tuum, Lamberto tuo teste venturum
 condixti? Atque ita Dominus per Paulum mentitus
 sit. Verum ego istis Lambertis iam nunc Domini no-
 mine sic respondeo: Vos ipsos mentitos esse, dum me-
 um Antichristum, alium atq; depinxeram, intellexistis.
 Ego pseudochristum fore prædixeram, hoc est, simula-
 tum Christum, qui ^{ψευδης} hoc est, qui simularet se Chri-
 stum esse: non eum qui veheret etiam Antichristi no-
 men: sed qui sub iactato Christi titulo, lateret Antichri-
 stus: hoc est qui re ipsa Antichristus foret, titulo autem
 Christus. Talẽ equidẽ Antichristũ vobis' depinxerã: dũ
 Matth. xxi i i i pseudochristos venturos præcauerẽ. Et
 hi venerũt quidẽ, sed nõ obseruastis dum nõ simulatũ,
 sed apertũ Antichristũ expectastis. Hoc pacto, inquã, iã
 nũc eius nomine vobis responsum esto, ne visis illis fi-
 nalibus signis, Christũ mēdacij insimuletis, quasi Anti-
 christus iuxta verbũ eius nõ venerit. Porrò de voce etiã
 superius diximus, quòd pseudochristus non statim is
 est, qui malus Christianus est, sed qui mentitus aut si-
 mulatus est Christus. Sicut pseudophilippus non est
 inimicus Philippi, sed mentitus, seu assimulatus Philip-
 pus: sicut Iuturna pseudometiscus, & Cupido pseudoiu-
 lus, non inimicus Metisci aut Iuli, sed mētitus & simula-

tus Metiscus & Iulus. In fine Valerij Max. complures istiusmodi simulatores videre est. Vnde satis persuasum puto per pseudochristos Matthæi xxiii, non quoscunque malos Christianos, sed eos tantum qui se Christos esse simularent, intelligendos. Quod ut soli Papæ fecerunt, ita nulli præter Papas. Quod enim Turca suum Mahumeten erexit, non pro Domino aut Deo (quem in vna persona colunt Arii, & Iudæorum more) sed pro primario quodam apud Deum diuo id fecit. Neque Turca vllum Christum, hoc est, Dei filium Ecclesiæ suæ regem agnoscit. Vnde nec Mahumet ei pseudochristus est: sed tantum Mahumet, qualis & nobiscum Christum nesciremus, Maria fuit, non quidem pseudochristus, sed Maria, qua, expulso vero mediatore Christo, mediatrice utebatur. Atqui non ita Papam habuimus, sed expulso vero Christo, Papam vicarium & ut sic dicam, Locumtenentem Christi, hoc est, pro nostro in terris Christo & Deo tenebamus. Non caruimus omni Christo, sicut Turca, sed vero Christo caruimus. Vnde dum excidimus, istum pseudochristum Papam recepimus. Ita Christum habuimus quidem, & recepimus, sed pseudochristum. Est enim pseudochristus etiam Christus, sicut niger homo etiam homo est. Turca autem & Iudæi, dum nullum Christum (Dei filium) regem receperunt, in pseudochristum incidere non potuerunt. Qui enim omnem verum Christum recusat, simulatum recipere non potest. Proinde quod Lambertus dicit, Papam ideo non esse illum Pauli Antichristum, quod non palam ex professo sit Antichristus, sed dissimulatè, id nostram firmat sententiam, dum suo pte eum gladio iugulamus, qui dicimus Papam esse illum Antichristum, hac ipsa ratione, quod non palam ex professo

professo fit Antichristus, sed dissimulatè. Neque enim Christus eum ex professo palam, sed mendaci titulo regnaturum dixit pseudochristum, hoc est, quod addidit, IN NOMINE Christi. Et dicent, inquit, EGO SUM CHRISTVS. Vnde & hoc obseruandum erat, quòd he voces ἀντικείμενος, & Antichristus, regnaturi monstri vim exprimant: Vox autem, Pseudochristus, regnandi eius modum: quòd non suo, sed simulato Christi nomine, esset regnaturus, id quod Paulus etiam indicauit, cum eum in templo Dei lessurum vt Deum dixit.

Consimiliter & altero illo dicto se ipse conficit Lābertus, cum sic ait: *Quia non prohibuit Papa palam mysterijs fidei credi, tametsi verum illorum sensum suis mendacijs conspurcarit: ergo non sit Archantichristus ille.* Hoc ipso, inquam, telo cum iugulo. Quia enim Papa non palam prohibuit credi mysterijs fidei, tametsi verum illorum sensum suis mendacijs conspurcarit: ergo est ipse ille Antichristus, nec vlla alia ratione. Neque enim foret Antichristus ille pseudochristus, si palā prohibuisset. Sic enim publico titulo Antichristus fuisset, nec formam vllam pietatis habuisset: nunc autem pseudochristus esse, vt dixi, debuit: hoc est, simulatè Christus, dissimulatè autem Antichristus. Quòd si verò publicitus prohibuisset, tum verò Antichristus ille pseudochristus non fuisset. Publica enim prohibitio exire ideo non debuit, quia hoc pseudochristi non fuissent. Nunc dum non prohibuit Euangelia, sed tamen virtutem (hoc est vera mysteriorum sensa) corrupit, & corrupta mundo obtrusit: enim uero id erat Antichristum *ψευδοχριστικῶς* regnare, hoc est, ipsa re Antichristum esse, sed tamen dissimulato nomine, quemadmodum Paulus ipse futuros prospexit: Habentes quidem formam, inquit,

pietatis, sed virtutem abnegantes. Quod igitur Lambertus addit, Et nondū vidimus apertā & publicam defectionē: ergo Papa nō est Antichristus ille: hoc ipse se telo conficit, & Papam Antichristum esse confirmat. Quia enim non vidimus apertam illam ex professo defectionem in Papatu, sed tamen veram defectionē, vel se teste: Ergo Papa est ille Antichristus pseudochristus. Nam si viva sit, non esset Antichristus ille pseudochristus.

Quod addit autem: *Quæ (publica defectio) hic secunda Thesalon, 11 significari videtur: id Lamberto tantum videtur, mihi certe non videtur, neque cuiquam mortalium videri putem. Porro quia ipse publicum Antichristum, publicam administrationem, & omnia publica imaginatur, hinc fit, vt ei omnia publica fore appareant, tametsi nō sint futura publica: quemadmodum per rubrum vitrum videnti, omnia sunt rubra: iuxta enim immundiciam interrogantis, erit quoque respondētis scripturæ immundicia.*

Cæterum quod dicit: *Quia Papa tantum in mundi angulo regnavit, non etiam per vniuersum orbem, ergo Papam non esse Antichristum: Id tam bellum est, quàm si dicas, Augustus non est Cæsar, quia Indis non Imperauit. At tum demum bellum probes, si confirmationem audias. Quia, inquit, Paulus dicit: Vt iudicentur omnes. Hinc Lambertus fugit (vt etiam antè meminimus) totum terrarum orbem Antichristo illi subijciendum. Quasi verò locus hoc velit, ab Antichristo omnes iudicandos, ac proinde antè subijciendos, & non hoc potius, quòd omnes iure sint à Christo condemnandi, quia contempta veritate mandacium receperint. Sic enim verbum iudicare passim vsurpat Spiritus, pro condemnare, vt*
Ioan.

Ioan. 111: Qui credit in me non iudicabitur: qui non credit iam iudicatus est, id est condemnatus.

Deinde etiam à definitione defectionis argumentatur, idque per Antithesim: Defectio, inquit, opponitur acceptationi Christi, quem accipit qui in eum credit, ab eo verò deficit, qui eum negat. Accepit mundus sensim Christum, & multæ regiones ab eo rursus defecerunt, *Sed nondum, inquit, defecit Europa.* Mox addit, *Porro defectio à Christo non est de personis nonnullis intelligenda, sed de vniuerso terrarum orbe, quòd in eo publicè è damnandum sit Christi nomen, & alius Christus palam assumendus.* Hæc ille. Respondeo: defectionem opponi quidem assumptioni quemadmodum iste dicit: sed duplex sit regnum, spirituale Christi, & seculare Cæsaris: Et ex inde duplex quoque defectio & assumptio. Et defectionem hoc loco mundani regni esse nõ spiritualis. Id Lambertum fugit.

Tametsi autem confutato Themate totum argumentationis corpus labefactatum sit, tamen vnum illud quod dicit: *Sed nondum defecit Europa*, videtur expendendum: visuri num id ex spirituali sibi defectione conuincipi posit. Ego ex diametro diuersum probabo, solam videlicet Europam hac Antichristi defectione defecisse. Atque illud quidem nunc aggredior. Dicit igitur ipsemet: defectionem hanc eam esse quæ à Christo & fide fieret: præterea addit, Antichristum hanc allaturum. Porro qui dicit Antichristum regnaturum vbique, ac propterea totum etiam orbem ad eum à Christo defecturum, is mihi hoc libenter dabit: defectionem hanc Antichristi non latius patere posse atque debere, quàm quæ Antichristus esset regnaturus. Quòd autem iste

Pauli Antichristus non per totum terrarum orbem regnaret, quemadmodum Lambertus putat: quòd item Papa fuerit iste Antichristus, hæc duo volo mihi ex superioribus argumentis, vel inuito Lamberto concessa. Iam defectionem hanc Pauli (fac esse spiritualement) de ea tantum quã iste Antichristus Papa allaturus erat, intelligendam esse, id nemo sanus præter Lambertum fortasse negauerit. Neque verò de quauis vbilibet defectione hic Paulus agit, sed quam inferret Archantichristus ille, de ea tantum agit: inferret autem quã regnaret tantum. quomodo enim latius queat? Regnavit autem per solam Europam: igitur sola Europa hac Antichristi defectione defecit. Huc facit quod Paulus dicit: Eum sessurum in templo Dei, hoc est, in Ecclesia dicta veri Dei patris & Domini Iesu Christi. Est enim templum Dei, quã Euangelium in Christi nomine vehitur. Iam constat Euangelium, quã quidem huius Antichristicæ defectionis extra Papatum, hoc est, Europam hætenus nusquam vehi. Ac proinde nec Turcia templum Dei est, ut quæ verum illum Deum Christi patrem, Deum non habet, quia Euangelium non habet: sed Deum per Mahumet reconciliabilem, hoc est, Deum Mahumetanum, qui Sathan est, non Deus. Deus porro Christianus, is solus Deus est. Deum Christianum voco à filio Christo, quem habet. Hunc igitur verum Deum Paulus dicit, quando Antichristum in Dei templo dicit sessurum. Neque Turcia igitur, neque vllacunque alia regio templum Dei est: sed Europa tantum: quippe quæ sola gentium verum illum Deum Christi patrem, etiam iubente id, sed suo more, Papa iactat & prædicat. In hoc, inquam, dicto veri Dei templo, hætenus sedet Papa. Quod igitur defectio pateret, quã latè regnaret

Antichristus

Antichristus, concedo: verum id ego hinc infero, quod per solam Europam regnavit teste experientia. Ergo & sola gentium defecit Europa, cuius caput fuit Roma: ubi etiam reuelandum esse innuit Paulus, cum in sublati è medio Cæsaris locum venturum dixit. Erat autem Cæsarium sedes Roma: Romæ igitur residere, seu (vt Paulus loquitur) reuelatum iri oportuit. Reuelatus est igitur Romæ, idque singulari Sathanæ astu. Cum enim Roma Europæ mater esset & caput, sine negotio potuit hinc pestilentia suæ defluuium in totum vsque corpus transmittere. Quod tanto pronius posset, si Christi nomen vt fecit prætenderet. Cur verò Europa dicta sit templum Dei, cum in veritate non esset, id superius visum est. I nunc Lamberte & dic: *Sed nondum defecit Europa.*

Atque hæc quidem hætenus de spiritali defectione per concessionem egimus: Nam ego hanc defectionis vocem non intelligo spiritaliter: quemadmodum suo superius loco secunda Thessal. II. visum est. Omnia tamen vera sint, si pro defectionis voce, sessione in templo Dei utaris. Hæc enim sessio inuoluit hanc istorum spiritalium defectionem: Vt quod illi dicunt torta defectionis voce, Europa defecit: vel vt vult Lambertus, nondum defecit, id ego seruata proprietate Pauli sub eodem sensu, dico: In Europa templo iam olim sedit, vel vt Lambertus vult, nõdum sedet Antichristus. Possem tamen ego quoque defectionem hanc donare spiritali, idque salua omni mea de Antichristo sententia: verum vt germanitas vocis & sensus in sua vi & vigore iuxta scripturæ circumstantias teneatur, ideo nolo. Satis igitur potenter euictum spero, falsum esse quod ille dicit, *Sed nondum defecit Europa:* Contrarium autem

verum esse, solam gentium Europam (quà quidem huius antichristicę defectionis: nam de hac mihi hoc loco tantum sermo est) defecisse: seu, vt ego cum Paulo loquor, ab Antichristo possessam esse.

Possẽm nunc & in hoc disertus esse, quòd Lambertus contra suam ipsius sententiam illum patentem Antichristum in superius citatis verbis, *A L I V M* Christum vocat. Quomodo enim palam Antichristus sit & tamẽ alius Christus? Qui Græcus est, nõ est alius Troianus, sed bene alius à Troianis. Verũ hũc solœcismũ illi donamus, hoc contenti monuisse, mendacem fuisse incõstantem. Hoc magis dicendum erat: Impossibile esse talem Antichristum futurum unquam, qui, quod Lambertus arbitratur, ex professo Antichristus regnet: Et tantum abest vt toti orbi possit dominari, vt ne vnus quidem, nisi demens, eius laturus fuisset imperium. Natura enim sic omnes comparati sumus, vt prona mente ad apparens bonum rapiamur, præsertim religionis: detestemur autem cum omnia cognita mala, tum vel maximè religionem malam, vt pro bona, qua vel falsus persuasus est religione, nullus quamuis prophanus, vitam pacisci detrectet. Quia enim de anima hĩc agitur, ideo hĩc pertinacissimi sumus, prorsusque indomiti. Et iste dicit, Antichristũ quendam patentem regnaturũ idque quàm latus est orbis. Nouum hominum mundũ isti Antichristo creatum oporteat: nam profectò nostri mundi genius nunquam reciperet cognitum malum, præsertim numinis aut religionis. Nulla, inquam, gens idolum habuit, sic vt idolum: & decipi quidem recti specie possumus, mali cognitione decipi nõ possumus sed neque patiamur. Vnde illud mundi prouerbium: Notum malum optimum, inde ductum, quòd tum vitari

rari possit. Erant autem hæc omnino refellenda, simul vt locus secundæ ad Thess. II. vindicaretur: simul vt ne expectatio illius venturi adhuc Antichristi vana spe falsam haberet Ecclesiam.

Sed & illud quoque animaduertendum est, quòd qui abominationem illam Desolationis ad Antichristi regnum trahit, peccat. Secundo: Cum Dominus signa illa in sole & luna post illos afflictionis dies ventura pronunciet: Vanum igitur est, ea iam olim sepius in eclipsibus illis naturalibus esse visa. Atqui quod naturale est & naturæ cursum currit, id nobis signo esse nõ potest. Iam hæc Solis & Lunæ signa, Dei signa sunt, non naturæ: nec naturalia, sed supernaturalia. Vt si Sol & Luna in medio cursu horis aliquot lumen sistant: si stellæ insolita densitate præcipitent: si signum, hoc est, vexillum Christi in aere conspiciatur: hæc omnia hyperphisica sunt, & Dei signa. Quod autem hodie illa sepius densiusque fieri quàm solent quis dicat, nugamentum est, vel omnibus senibus attestantibus. Mihi sanè his proximis xx. annis quamuis obseruanti in stellarum casu nil noui conspiciere contigit. Dicere quoque signa hæc Solis & Lunæ sæpe facta, bis fallitur, & quòd facta dicit, & quòd sæpe facta dicit. neque enim facta sunt, neque sæpe fient. Fient enim tum demum, vbi Lutherani Episcopi afflicti erunt, & tum semel tantum fiet. Neque enim Christus Solem sæpe obscurandum dicit. Quod autem Lucas scribit: Erunt signa in Sole & Luna & Stellis, non quia sæpe futura sunt dicit: sed quia Sol & Luna & Stellæ diuersa corpora sunt, ergo multitudinis numero vsus est.

Tertio, *Tum plangent omnes tribus terra.* Non erit inquit, signum istud corporale aut externum: Nam scriptum

est, Clamabunt pax & securitas, & repentinus eis imminebit interitus. Seu, quemadmodum Christus ait: Plantabunt, nubent, commessabuntur, sicut in diebus Nohe. De conscientia igitur angustia intelligendum autumat. Atqui autem finis signum esse non potest, quod nullo tum tempore visum est, imò adeo quod plus ante restitutū Euangelion sub Papatum regnavit quàm hodiè sub finem facit. Evidentiora certè signa sub finem esse convenit, si conspici palam debent. Quod autem conscientia dolore plancturi sint homines, ostendit Christus ipse, dum quid plancturi sint adiungit: Videbunt inquit, signum filij hominis: hoc cōspecto expauescent, seu (vt Lucas ait) exanimabuntur præ timore, non conscientia peccati, sed rerum, ait, mundo impendentium. Quòd autem dominus homines securè acturos ait, id usque ad postremum illud signum filij hominis, cum quo statim apparebit Dominus, futurū est. Nam hoc ultimo signo viso, tum inquit plangent, sed frustra, sed serò. Quasi dicat, Omnia alia signa contemnent, hoc solo movebuntur. Neque contraria hæc sunt: Clamabunt pax & securitas: & istud, Plangent omnes. Nam signum hoc filij hominis statim sub ipsum finem visetur. Sicut igitur signum præfertur iam iam præliaturo principi, de quo supra. Quòd Porro additur signum istud Angustia conscientiarum, hiscentum annis plurimum fuisse, nihil est. Neque enim quemadmodum in canone illo nostro probauimus, à centum usque annis prognostica hæc ducenda sunt, sed à reducto per Lutherum Euangelio. Adde etiam quod non sentiri tantum signa hæc voluit dominus, sed oculis etiam usurpari, iuxta illud: Cum videritis hæc omnia. Non possent autem videri, si conscientia
 signa

signa sint. Neque enim signa spiritualia, seu insensibilia hic ponit dominus, sed externa, & externo proinde sensu usurpanda. Atqui videbuntur quidem omnia vulgo & sentientur, sed non attendent. Quis enim non videret bella, terræ motus, pestem, famem, luminarium obscuracionem, stellarum decasum, firmamenti motū, immanem illum aquarum strepitum, vexilli denique monstrum? Videbunt igitur omnes, sed animum non aduertent. Atque hoc illud est quod Christus accusat, edent, bibent, nubent. Quasi dicat, prophanus mundus videbit quidem signa, sed cor non apponet.

Cum igitur signa post afflictionem casura, inter ea ponat iste quæ afflictionē præcedūt, satis constat, totam huius deuter ^{ασιν} in hanc quidem lectionem esse apocopam: velle posset autem ^{επιθελειψια} signa præterisse. Nam sic etiam ^{θελειψιας} sacra sine se transacta sint.

Quartò peccat, dum illa, plantabunt, ædificabunt, nubent, bibent, putat finis esse prognostica. Neque enim hoc voluit dominus vt finis essent prognostica, sed securitatis mundi sub finem argumenta.

Quintò, dum huc congerit asininum illud Tyberis caput: itē, sanguineas illas cruces ante annos xxviii visas: istæ enim non finem mundi, sed iram Dei in Papæ venias portendebant, vt quæ in sanguinem & crucē Christi essent iniuriæ.

Sextò, dum Hispanicam scabiē, prælum, bombardas, & nouas vestes, & nescio quæ alia phantasmata huc cogit.

Septimò, quòd virtutum cœli motationem, illam planetarum constellationem esse, quæ anno xxiiii cōtigat, pro certo affirmavit, id vel euentus probauit falsum. Et tamen hæc omnia velut ex ipsa Phœbi cortina

prolata lætitantur. Aliam, Aliam omnino motationē videbimus post illos Afflictionis dies. Malam certè hic operam nauauit, dum Ecclesiæ, signa adhuc implenda, persuadet esse completa. Dominus sic ordinauit, vt omnes creaturæ hanc nobis diem præsignarent.

Octauò, Non transibit generatio hæc: intelligit per generationem hanc Iudæos, cum Christus simpliciter mundum, quæque in eo sunt intelligat. Sicut etiam Gen. r. Spiritus vocem hanc vsurpauit. Vnde & Iuuen- cus illustrandi gratia sic reddidit.

Præteriet nec enim præsens generatio secli.

Nonò. Hoc lepidum est, quòd cum sonitus illos marinos dixisset iam tum sæpe factos, adiecit, hoc esse sciendum, non illos vbique æquè euenturos. Id eo astu fecit, vt si nusquam à quoquam exauditi essent, quisque cogitaret: Vt ego non audierim, at alibi tamen forsã auditi sunt. Et sic ferè in omnibus signis ludit, & eludit.

Postremò in papæ gratiam impertinenter hîc allegorizat: quasi verò omnis historia allegoriam patiatur. Certè in hoc Prognosticorum tractatu nihil est allegoricè dictum, vt ineptus sit, qui id moliat. Neque verò alij desunt (Originem puto & similes) qui omnia hæc signa allegorijs eluserunt: quod quidem haud quaquã permittendum est. Videnda enim palam Christus proponit, nõ allegorizanda: iuxta illud, Cum videritis & c.

Nobis de his submonuisse sat sit, interim ad euenta prouocamus, quemadmodum propheta dixit: Si verbũ quod propheta dixit, sicut dixit euenit, verus habebitur: sin minus, falsus.

Ad vltimum autem respondere his visum est, qui dicere solent: Vt maximè Dominus cum his signis finem mundi.

mundi futurum dixerit, mutare tamen sententiam, ut est longanimis possit: quemadmodum Regi Ezechiae fecit & Niniuitis: Respondeo verbum Dei duplex esse: Aut enim certum esse destinavit quod edicit, aut tentandi tantum & comminandi gratia dictum. Tentationis verbum erat illud Ezechiae: Niniuitarum autem Comminationis, & ad poenitentiam mutationis. Atque haec verba mutari possunt: quemadmodum etiam mutationis appendicem secum semper ferunt. At certa illa dei verba, prophetica veritate posteris commendata, cuiusmodi haec sunt, illa mutari nunquam possunt, praesertim si iure iurando, quemadmodum hic fecit, obstringet. Omnis enim controuersiae finis est iuramentum. Iuravit igitur Dominus hoc loci in haec verba: *Amen dico vobis, Caelum & terra transibunt, Verba autem mea (qua de prognosticis) non transibunt.* Quod autem nullum signum aut omissurus sit, aut inuersurus, id quoque iucundissime firmat: Non transibit generatio haec nisi omnia haec signa ante facta sint. Stat igitur fixum: Omnia haec prognostica antea fieri oportere, & exactis omnibus, venturum indubie finem. Faxit vero Christus, ut suo more ardentissimam suorum expectationem vel praervertat, quemadmodum in diebus Nohe, cum cxx annos condixisset, anxietate tamen iusti viri, & mundi impietate motus, adeo non prorogavit effatum, ut totum etiam vigintennium praeciderit. Est quippe is eius erga nos animus, ut multo plus ac citius praestet, quam velimus. Tempore misericordiae cum ad poenitentiam inuitat, tum longaminis est, Rom. II, sed tempore quo iam ira exardescit, tum *ὄξυθυμότητος* est: quemadmodum Psal. VII. ait: Deus iudex, iustus, fortis & patiens, nunquid irascetur per singulos dies? Nisi conuertamur gladium

exacuit, arcum tetendit. Quasi dicat, diu quidem minatur, sed minas tempore iræ quasi volante sagitta velociter exequitur. Vnde & gladius eius, gladius columbæ apud prophetas dicitur. Et resipiscebant Niniuitæ deprecantes plagam: quemadmodum etiam Ezechias. At nostri homines in impietate quamlibet moneantur perdurant, & non modo non deprecantur plagam, sed scelerum intentione magis magisque laceffunt. Quò autem prorogatio illis, qui non cogitant vitæ correctionem? Quemadmodum Esaias ait: Misereamur impio, & non discet iustitiam facere: Et indulgisti genti Domine, indulgisti genti, sed nunquid glorificatus es? Pij autem quàm multi sunt, qui & soli exaudiuntur, non prorogatione, sed acceleratione redemptionis sui rogitant. Hos hos inquam, exaudiet Dominus, & votum citius quàm sperare ausint præstabit. Clamauerunt enim iusti, & Dominus exaudiuit eos. Tanto autem maturior aderit, quanto plures sunt impij: Rursusque tanto festinantior, quàm cupidores sunt pij: Impietas enim plagas attrahit, vt Cœcias nubes. Cum igitur isti trahant, & contra pij idem summè contendant, scilicet duplùm properabit dominus, iuxta illud Luc. xviii: Amen dico vobis vindicabit dominus electos suos de inimicis ipsorum: idque B R E V I. Egregium verbum, maximèque finem orantibus consolatorium. Quæ signa autem facta sint, quæue futura adhuc sint, in superioribus abunde monstratum est. Itaque Prognosticorum hîc finem, facimus, ad reliquos Danielis nodos transituri.

ANTICHRISTI FINIS.

DANIELIS ET EZECHIELIS
LOCORVM QVORVNDAM MAGNI
MOMENTI NONNVLLORVM SCRIPTIS
corruptorum, interpretatio scitu dignissima

Eodem autore.

IN VIII. CAPUT.

Danielis.

Ne nobis fraudi hîc quisquam sit, vindicanda igitur veritas est, & propheta sibi restituendus. Probabimus autem illud paruulum cornu huius capitis, ad Antiochû pertinere tantûm, nō etiam ad Antichristum: probabimus autē per ipsum et Danielem.

Ponit itaque primûm visionem, dein interpretationem visionis. In visione autem de quinque loquitur regibus: quorum primus quidem aries est, secûdus hircus, tertius cornu illud magnum, quartus quatuor cornua, quintus cornu illud modicum ex quatuor illis egressurum. In interpretatione porrò hæc quinque de quinque regibus interpretatur. Quod autem quintus rex in interpretatione, illud in visione modicum cornu sit, vel inde patet, quod Angelus non functus fuisset probi interpretis officio, si non totam visionem ex ordine fuisset interpretatus. Dicit igitur in interpretatione Angelus: Aries cum suis cornibus rex Medorum ac Persarû est. Hircus, Græcorum siue Macedonum. Cornu grâde rex primus Græciæ est, Alexander magnus. Quatuor cornua, quatuor reges sunt Alexandri successores, An-

tigonus Asiæ, Seleucus Babylonis, Cassander Macedoniae, Ptolemæus Aegypti Siriacque. Restatiam quintum cornu, illud in visione modicum, quod populo Iudaico multa inferret mala. Hic fuit Antiochus ille, qui primo Machab. i. depingitur. Quod autem cornu istud non sit Antichristus noster Romanus, aut Turca, ut quidam putant, vel hinc constat, quod propheta in visione dicit: Modicum istud cornu ex quatuor illis cornibus quarti ordinis egressurum: inter quæ, ut visum est, nondum erat Romanum imperium. Atqui autem Antichristum constat è Romano imperio & extitisse, & iuxta prophetiam secundæ ad Thess. i. i. existere debuisse: quem admodum antè visum est, Danielis secundo. Antiochus igitur modicum hoc cornu, ex eis (inquit Daniel) egressum est, factumque est grande contra Meridiem, id est Aegyptum, primo Machab. i. & contra Orientem, id est, Persida, primo Machab. vi. & contra fortitudinem cæli, id est, Iudæam, primo Machab. i. Hoc est, quod cap. vi i dicit, ipsum tres reges humiliaturum, Aegyptiorum, Persarum & Iudæorum. Porro Iudæorum rex Deus est: de quo dicit, Aduersum principem fortitudinis magnificatum est cor eius, & tulit ab eo iuge sacrificium: Vocat autem Iudæam fortitudinem cæli, quod fortitudo & protectio eius cælestis esse, hoc est, diuina, propter Deum ipsorum regem.

Hoc cornu multas de stellis deiecit, conculcauitque: hoc est, multos Iudæorum interemit, sicut videre est primo Machabeorum. i.

Et abstulit iuge sacrificium. hoc est, legale illud Mosi sacrificium.

Et deiecit locum sanctificationis eius: sic enim scriptum est primo Machabeorum. i. Et intrauit Antiochus in Sanctificationem

ctificationem cum superbia, & accepit altare aureum
& comminuit omnia.

Robur enim datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata populi: & prosternetur veritas humi, & prosperabitur & faciet. Et audiui vnum de sanctis (angelis) loquentem: & dixit vnus ad alterum: vsque quò visio (hæc de conculcatione templi, sacrificij & populi sancti) vsque quò peccatum desolationis (id est, abominatio Antiochicæ desolationis, templi videlicet prophanatio ac legis extirpatio) durabit? Et dixit ei, à manè vsq; ad vesperam: hoc est ab initio eius vsq; ad finem, dies bis mille trecenti. Quod si ratiocineris ex primo Machabeorum, sic habere ista deprehendes. De quo infra cap. vii.

Deinde mundabitur sanctuarium, hoc est templum. Vide primo Machabeorum IIII.

Istud igitur modicum cornu, rex ille impudens Antiochus est: qui surrexit post regnum illorum quatuor regum Alexandri successorum: qui sine manu contritus est, primo Machabeorum vi. Vulneratus enim infortunij fama in morbum incidit, curruque precipitatus interiit. secundo machabeorum ix. Hunc ipsissimum huius visionis sensum esse nemo doctus inficiabitur, nisi iratis circumstantijs pertinax esse velit: quod addo, ne quis cornu hoc, Papam esse diceret. Sententiã verò meam multo certissimam id facit, quòd propheta ipse eam dicit: dein hoc modicum cornu è quatuor illis cornibus in quibus Romanorum regnum nondum erat, oriturum dicit. Porrò vii caput cum huc etiam spectet, addendum videtur.

n

94
IN SEPTIMUM. CAPUT.
DANIELIS.

Istud caput qui ulterius quàm iam dictum Antiochum trahit, indoctè facit. Omnino enim Antiochum per cornu suum paruulum propheta intelligit. Quod autem quartam bestiam, (regem Græciæ Alexandrū) decem cornua sub se dicit habituram, id verum fuit. Totidem enim regna sibi ille subegit: quemadmodum testatur polyhistor Solini cap. xiiii: Asiam, Armeniā Iberiam, Albaniā, Cappadociam, Syriam, Aegyptum Mediam, Persidem, Indiam. Hęc decem regna subiugavit sibi vnus Alexander, verè venter ille *πρωτοβόρος* capitis secundi. Hoc mortuo regna illa rursus distracta sunt, ita vt singula singulos sortirentur reges: quemadmodū legere est apud Iustinū lib. xiiii. Atque hoc est quod in expositione dicit: decem cornua ipsius regni, decē reges erunt. Quod autē capite viii & xi. Alexandri regnum postea quadripartitum propheta dicit, id tum demum factum est, cum omnia illa decem regna in quatuor contracta sunt.

Et post omnes istos reges, tandem consurget quidam (Antiochus) qui potentior erit prioribus: non ipso Alexandro qui viuis erat, sed vno quolibet Alexandri successore.

Et tres reges (ex decem illis) humiliabit: de quibus capite superiori. Hic idem sermones contra excelsū loquetur: hoc est, aduersus Iudæam insurget, & eius deum qui dicitur Excelsus. Esaias. ii. Quas autē quatuor bestias ponit: harum prima leæna, regnum Babylonicum erat. Secunda, Ursus, Medorum: Tertia, Pardus, Persarum: Quarta informis illa bellua, Macedonicum figurabat imperium

imperium. Et hæc quidem illa bellua est, quæ sibi decem illa cornua parauit: ex quibus postea cornu illud modicum (Antiochum) exortum dicit. In quem abolendi eius sententiam à Deo iudice in publico angelorum consistorio ferri conspicit, quam & passus est, primo Machabæorum **III**. & secundo Machabæorum **VI**. Ne quis hæc, vt quidam somniat, ad commune mundi iudicium trahat. Quod scribit autem omne regnum mundi dandum populo sanctorum, christianos intelligit, quorum principi Christo subiicienda sunt tandem vniuersa mundi regna. id quod nunc fit quidem verbo, in futuro autem iudicio reipsa fiet: quemadmodum Paulus ad Rom. ex Esaia docet. Oportet, inquit, omnes nos stare ante tribunal Christi. Scriptum est enim: *Viuo ego dicit Dominus, quod mihi flectetur omne genu.* Quod autem capiti nostro fit, toti corpori fit.

Et penes hunc populum manebit imperium: quemadmodum dicit, *Regnum hoc sempiternum est.* Tum enim semper erimus, regnabimusque cum domino. Hanc esse ipsissimam huius capitis enarrationem certissimum est. quare sequitur, vt qui hic Turcam fingit, longum erret. Erroris autem causa est, quod Medorum & Persarum regna, quæ Daniel ex successionum vice hoc loci diuidit, ipse pro vno regno habet, eo quod **VI** **II** capite sic positum videret. Atqui autem diuersæ visiones diuersa ratione tractandæ sunt. Quod autem hoc loco fundat, tum aduenturum Christum, cum regnum Turcæ in fastigio staret, & Turcam nouissimo hoc tempore sanctos infestaturum, mera figmenta sunt, cum in toto Daniele ne my quidē sit de Turca. Si porrò cornu hoc, quod iste Turcam esse dicit, præualiturum sit sanctis, quemadmodum Daniel huic ait, vsque dum ueniret

Christus, quomodo ergo iste spondet Ferdinando,
Succumbet manibus bellua victa tuis?

An verò putet iste suis tinnulis versiculis prophetæ
signacula. refigere? Etenim dicere non dubitat:

Aspice, vera tibi non ego falsa loquar.

Cum autem hæc ita sint, Quærat igitur aliquis, quo-
modo id quod capite VII. dicit, tribus annis & semis
tradendos Iudæos in manum inimici, conueniat cum
VIII. capite, ubi annos VI. cum semis ponit? Respon-
deo: Israellem traditum fuisse in manus Antiochi tribus
annis cum semis. Nam ab huius potentia liberauit eos
Iudas anno Græcorum CXXXVII, qua detenti iam
fuerant ab anno CXXXIII: quemadmodum videre
est primo Machab. I & III. Tametsi autem ab huius
potentia liberati essent hoc tertio anno & semis, visio
tamen quæ Antiochum vexaturum Iudæam diebus M-
MCC. constituerat, nondum plenè impleta erat: fecit
enim id ille quoad vixit, vixit autem vsque ad annū C-
XXXIX. cœperat verò vexare illos anno CXXXI-
I. Itaq; eius morte quæ contigit anno CXLIX. impleta
est denique visio capitis octauī. Impletum est quoque
iudicium illud Dei cap. VII, quod sine manibus conte-
reretur. Sedebit, inquit, iudicium, vt auferatur potentia
(Antiochi) & conteratur, & dispereat in fine, id est tan-
dem: quod anno tyrannidis suæ septimo contigisse cō-
stat ex capite octauo. Cum hæc autem in Antiocho sic
certo tempore per omnes circūstantias completa sint,
feri non potest, vt hæc visiones aliorum quam ad An-
tiochum tendant. Quomodo enim septimi capitis tri-
ennium cum suo semestri, aut octauī sexennium cum
suo semestri Turcæ, aut Antichristo Papæ, quod isti vo-
lunt, respondeat? Planè cæcutiunt qui tam exposita nō
vident

vident. Quòd si autem hìc vbi minor difficultas est in tantum *σποσκοπήσει*, quid in alijs visionibus huius prophetae, multo etiã his obscuriorib. facturos speremus?

DE CHRISMATE IX. Capitis. Danielis.

Hoc loco illud monendus est lector, quod quisquis locum illum, Post sexagintaduas hebdomadas auferetur Christus, sic legerit, & nō pro Christus, Chrisma, (vt quidam fecit) iste hanc visionis partē non tantum non intelliget, verum etiam vitiabit, vt intelligi non possit. Qui enim Christus legunt, isti ex certo Danielis tempore, indefinitum quoddam tempus ponunt, quo, in hac quidem visione, propheta nusquam vtitur. Alioqui sanè & illud quod post exitum sermonis aedificandae Ierusalem dicit, & caetera omnia, ad incertum tempus aliquis trahat. Vnde & Græci omnes Chrisma legunt, & multi etiam ex priscis latinis. Sic enim Tertullianus, sic Eusebius legunt: vt dubium non sit, hunc locum, quemadmodum & hoc eodem capite, illum de abominatione desolationis, & illum duodecimi capitis de tempore tribulationis, à Iudæis esse falsatum. Veritas igitur lectionis hæc est: *Post hebdomadas sexaginta duas, exterminabitur Chrisma, & non erit.* Atque hoc pacto etiam legit Tertullianus in libro aduersus Iudæos. Omnino enim de Pompeio, qui vnctionē ablaturus erat, loquitur. Romani enim creandorum pontificum ius sibi deinde vendicarunt, astipulante etiam Iosepho & omnibus historiographis. Quòd porrò quidam sexaginta duabus hebdomadibus, septem etiam

alias hebdomadas aliunde petitas assuit, violentia est, pro cōmento firmādo excogitata. Ceterū quod pphe-
ta dicit: *Ciuitatē dissipabit dux* (Titus) & *post finē belli statuta*
desolatio: Gentis desolationē intelligit: de qua Caiaphas
prophetabat: Venient Romani, & auferent gentem cū
loco. Neque verò hæc desolatio, abominatio illa deso-
lationis erat, quam in templo staturam dicit. Ista enim
spiritualis regni fuit tantūm, illa autem externi: quem-
admodum etiam apud Hieremiam saepe vsurpatur.

Hæc Docto ac Studioso Lectori in Daniele dicta
sufficiant. Cætera enim per se clara sunt. Ego nodos
tantūm vel obscuros, vel obscuratos, in præsentia vin-
dicasse sat habeo. In primo enim capite, item in tertio,
quarto, quinto & sexto nil est difficultatum, & decimū
præfatio tantūm est vndecimi. Nos secundum caput,
septimum, octauum, nonum & duodecimum expedi-
uimus. In vndecimo si quis omnino commentarium
velit, Hieronymum legat. Nos in eo, cum non seruiret
proposito, nolimus operam ponere. Tantūm seditio-
sa illa regum Macedonicorum, Aegyptiorum, Asiæ &
Syriæ ad Antiochum vsque cum quo & caput claudit,
tempora bellaque describit. Vbi hoc tamen in primis
tenendum est, quòd totus ille locus, inde, *Stabit in loco*
eius despectus, vsque ad finem, personalis sit ad vnum
Antiochum (de quo in septimo & octauo capite visum
est) pertinens: quod propter eos dico, qui Papas etiā
& Antichristos, & Turcas confingunt.

Brachia autem quæ ibidem ex Antiocho statura di-
cit, quæ sanctuarium in Ierusalem polluerent, præfe-
ctos Antiochi intelligit, Lyfiam videlicet, Gorgiam,
Timotheum & cæteros, quos vnā cum Antiocho
Ezechiel Gog & Magog dixit: quemadmodum id ex
Machabæorum

Machabæorum collatione liquere potest." Et cum in septimo capite iudicium in Antiochum fieri vidisset, hic etiam ubi id pateretur assignat. *In monte inclyto patietur*, inquit, *& nemo auxiliabitur ei.* Sic enim scriptum est secundo Machabæorum 1 x: Igitur homicida & blasphemus in mōtib. miserabili obitu vita functus est, & c.

Peruadatis autem Danielis abyssis, tempus videtur vt ad Ezechielem quoque transeamus: quem patrum natio & corruptit, & ecclesia corruptum hactenus tenet. Duos igitur huius prophetæ nodos explicabimus, primam videlicet, & vltimā visiones, simul prophetæ gratificaturi, simul nostram artem, vt iste *quod est* amplius etiā ostensuri.

CAPUT PRIMUM

Ezechielis.

ET factum est in tricesimo anno, in quarto, in quinta mensis: cum essem in medio captiuorum iuxta fluuiū Chobar aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioa-chim. Factum est verbum domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldaeorum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Domini. Et vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius: & de medio ignis quasi species electri, id est, de medio ignis. Et in medio earum similitudo quatuor animalium: & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis. Et quatuor fa-

cies vni, & quatuor pennæ vni. Et pedes eorum pedes recti
 & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli, & scin-
 tillæ quasi aspectus æris candentis. Et manus hominis sub
 pennis eorum in quatuor partibus: & facies & pennas per
 quatuor partes habebant. Iunctæq; erant pennæ eorū al-
 terius ad alterum. Non reuertebantur cum incederent:
 sed vnunquodque ante faciem suam gradiebatur. Simili-
 tudo autē vultus eorū, facies hominis, & facies leonis à de-
 xtris ipsorū quatuor: Facies autē bouis à sinistris ipsorum
 quatuor. Et facies aquilæ desuper ipsorū quatuor. Et facies
 eorū & pennæ eorū extente: desuper duæ pennæ singulorū
 iungebantur, & duæ tegebant corpora eorū. Et vnū quod
 que eorum coram facie sua ambulabat: vbi erat impetus
 spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambu-
 larent. Et similitudo animalium & aspectus eorum,
 quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus
 lampadarum. Hæc erat visio discurrens in media
 animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.
 Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem
 fulguris coruscantis. Cumq; aspicerem animalia, apparu-
 it rota vna super terrā iuxta animalia, habens quatuor
 facies. Et aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio ma-
 ris: & vna similitudo ipsarum quatuor: & aspectus earū
 & opera, quasi sit rota in medio rota. Per quatuor partes
 earum euntes ibant: & non reuertebantur cum ambula-
 rent. Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis
 aspectus: & totum corpus oculis plenum in circuitu ipsa-
 rum

rum quatuor. Cumq̄ ambularent animalia, ambulabant
 pariter & rota iuxta ea: & cum eleuarentur animalia
 de terra eleuabatur simul & rota. Quocunq̄ ibat spiritus,
 illuc eunte spiritu, & rota pariter eleuabatur, sequentes
 eum: spiritus enim vitæ erāt in rotis. Cum euntibus ibant,
 & cum stantibus stabant: & cum eleuatis à terra, pariter
 eleuabantur & rota, sequentes ea: quia spiritus vitæ erat
 in rotis. Et similitudo super capita animalium firmamenti,
 quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita
 eorum desuper. Sub firmamento autem pennæ eorum, re-
 ctæ alterius ad alterum: vnumquodque duabus alis vela-
 bat corpus suum, & alterum similiter velabatur. Et audie-
 bam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum:
 quasi sonum sublimis Dei cum ambularent: quasi sonus
 erant multitudinis, vt sonus castrorum. Cumq̄ starent, de-
 mittebantur pennæ eorum. Nam cum fieret vox super
 firmamentum quod erat super caput eorum, stabant &
 submittebant alas suas. Et super firmamentum quod erat
 imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri
 similitudo throni: & super similitudinem throni, simili-
 tudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi specie
 electri velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum: à
 lumbis eius & desuper, & à lumbis eius vsque deorsum,
 vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. Velut
 aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuie: hic erat
 aspectus splendoris per gyrum.

IN PRIMAM ET ULTIMAM
Ezechielis visiones

EXPOSITIO

PER ventum igitur turbinis & nubem & ignem inuoluentem, nihil aliud intelligit propheta, quam grandem illam tempestatem, quæ spiritu iræ Dei veniret Iudæis à Babytone. Atque hoc totius visionis argumentum est. Quemadmodum alibi videt ollam igneam dicens: Ab Aquilone pandetur omne malum. Nunc totam tempestatem visionem speciatim incipit explicare: *In medio huius ignis species electri*: id est, probè armati exercitus. Ex electro enim optima arma fiunt: quæ admodum & in fine visionis videre est, vbi Christum ipsum electro armatum videt. Sed & Vulcanus in armis Aeneæ metallo hoc vsus legitur Aeneidos octauo, vbi ait:

Tum leues ocreas electro auroq; recocto & c.

Ideo autem inuoluentem ignem dicit, quòd inuolneret hanc electri speciem. Quòd dicit, splendorem in circuitu turbinis nubis & ignis fuisse, significat Deum & gloriam Dei cum hoc exercitu aduersus Iudæos stare. Sic enim & in fine capitis splendorem ponit. Quòd autem Deus huic exercitui spiritu suo fauerit, ex ipsa visione infra videbimus.

Et in medio ignis similitudo (id est facies) *quatuor animalium*. His verbis exercitum describere incipit. Et primū quidem à rege, quæ per hoc animal intelligit: nisi præfectos regis quatuor intelligas, quod eodē redit: quippe enim quod præfecti faciunt, nomine regis faciunt.

Et

Et huc magis quadrat visio, vt quatuor vicarij regis, in quadriformi hac, tamen vna imagine, vnum repræsentent regem. Subditum exercitum postea per rotam delineat: vnde inferius. Nunc quadriforme ducum animal prosequamur. Quæ igitur huius animalis facies fuerit, exponit. Fingit autem similitudinem seu faciem horum animalium, nõ quemadmodum vulgò ex Apocalipsi pingunt, qui hinc Euangelistas quatuor nobis reddunt, sed sic vt vni animali quaternæ fuerint formæ & vna omniũ quatuor hypostasis, quæ vnica est: vnde etiam capite x animal singulariter dixit. Iam quomodo pingi possit, videamus. *Similitudo hominis in eis*, inquit propheta. quasi diceret: In quatuor suis faciebus humanam etiam faciem habebat. Quo verbo animal hoc, hominem etiam fore significat. Soli enim homini sapientia est & ratio pro administranda militari disciplina. A dextra parte leonis facies erat, quo potentissimũ animosissimumque regem figurabat. A sinistra parte bos foret, quo toruitatem eius notat. Est enim taurus toruissimum animantium. Desuper autem aquila prominere, quo & celeritatem & pertensionem regis signat: vt enim aquila suo volatu quascunque nubes facile transcendit superatque, ita rex iste omnescunque munitiones perumperet: quemadmodum in Threnis dicit propheta, *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis coeli, super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis.* Eodem spectat, quòd pedes eius rectos dicit, & plãtam vitulinam, id est, proteruam: omnia enim proculcaret iste rex. Quòd autem scintillare eos dicit tanquam æs candens, ad alacritatem & iracundiam regis & ducum pertinet. Iratorum enim oculi quasi scintillare videntur: quemadmodũ ille dixit:

— *Stant lumina flamma.*

Et alius item de suo Agamemnone:

Ὅσπε δ' οἱ πυρὶ λαμπρόωντι εἰκλήν:

hoc est, vt de Turno noster dixit.

His agitur furijs, totoq; ardentis ab ore

Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Quemadmodum etiam clarius idem propheta scribit:
Et aspectus eorum quasi carbonum ignis, & quasi aspectus lampadarum. Cæterum quod pennas quatuor singulis tribuit, ad militiam administrandam egregiè instructos docet. Vulgares enim volucres duarum alarum remigio tantum vehuntur. Quod autem extentas facies & alas fingit, elatum regis animum, & magnum ducum studium ad deuastandum signat. Quod duabus alis sibi mutuò coniuncta dicit, concordiam summamque ducum conpirationem denotat: ac proinde etiam omnia quatuor animalia in vnum finxit alis. Quod porro alteris duabus alis corpora tegunt, significat illos probe armatos aduentare aduersus hostium iniurias: quales fingit Arpias suas Maro, quarum alæ nulla accipiebant vulnera. Quod coram facie sua ambulare ea dicit, pertensionem ducum significat, vt qui non respicerent retrò aliquid aggressi: neque desisterent, donec obtinerent. Id significat cum addit, *Vbi erat impetus spiritus*, id est, venti, seu turbinis, quem spiritus iræ Dei inducibus cōcitabat: *illuc gradiebantur, nec reuertebantur* (inquit) *cum ambularent*. Quod autem manus illas quaternas addit, easque humanas: significat eos grauiter acriterque executuros quicquid aggredierentur. Vnde etiam num de homine ignauro & ad opus segni vulgò dicitur. Vt stat quasi si mancus sit. Denique quod animalia

malia hæc esse ad similitudinē fulguris coruscantis dicit ad pertensionē munitionumq; obstantiū demolitionē pertinet. Quemadmodū enim feriunt celsas arbores fulmina, ita duces isti summas quasq; vrbes ferient: potissimū tamen Iudæā & Ierusalē, vnde hic sermo est.

Quòd dicit autem: *hæc erat visio discurrens per medium animatum splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* Per ignē intelligit illum ducum ardorem vehementiamque ad subigendos perdendosque populos. Quod autem fulgura ex igne promicare dicit, significat illorum ardorem efficacem fore atque insuperabilem. Nam fulgur sanè percellit, quæ tangit. Sic Maro de Cæsare.

— *Ad altum*

Fulminat Euphratem bello, Victosq; volentes

Per populos dat iura.

Deinde addit: *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram iuxta animalia, habens quatuor facies.* Per vnā istam rotam iuxta quatuor animalia apparentem vnum illum exercitum qui à quatuor animalibus (suis dicibus) ductabatur, intelligit. Quemadmodum enim quatuor equi currum trahunt, ita duces isti exercitum hunc ductarent. Quòd autem vni huic rotæ quatuor facies adscribit, nil aliud significat, quàm quòd vna illa rota quatuor rotas in vna referret subsistentia: quod dicit propter quatuor primarios duces, quorum vnus quisque rotam, id est, exercitum ita curaret, vt soli sibi commissam. Vnde & propter quatuor istorum administrationem, pluraliter rotas appellat, cum tamen re ipsa vnica foret. Quòd autem per rotas exercitum intelligat, ipse propheta paulò post exponit, cum addit: *Et aspectus & opus, id est, forma, earum, quasi visio maris.* Mare enim in scriptura, populos signat, vt ibi: *Mirabiles*

elationes maris. Huc iam deinde spectant quæcunque de rotis scribit, quòd statura essent horribiles, & quòd totum corpus rotæ oculis plenum esset, quo significat, totum exercitum accerrimū fore & vigilem, minimeq; ad remgerendam desidem. Quòd autem exercitus per rotam intelligendus sit, etiam hoc conuincit quod sequitur: *Cum ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea.* Nihil enim hoc aliud significat, quàm exercitum duces secuturum: *Et cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ: quemadmodum & cum stantibus stabant:* hoc est, ducibus castra mouentibus, exercitus quoque castra mouebat, metabaturque. Nunc idem etiam alijs verbis effert: *Quòcunque ibat spiritus, illuc & rotæ ibant.* Dixit enim superius quatuor animalia, in medio venti (quem hîc spiritum vocat) fuisse, & hunc spiritum iræ Dei esse diximus: qui omnes istos duces agat & impellat aduersus Iudæam: quemadmodum alibi dixit: Spiritus plenus ex his veniet mihi. Porro quò duces isti aguntur, eòdem & totus mouetur exercitus. *Spiritus enim vitæ erat in rotis:*. Hîc clarissimè denotat quid per rotas intelligat, nimirum homines rationales, qui se ducum iussu duci permittant. Cæterum quò dicit, *Per quatuor partes earum euntes ibant.* Hîc pro earum, legendum est, suas. Vult enim significare propheta totum exercitum se simul mouisse per omnes partes suas neque vlla sui parte debilem fuisse aut impeditum, quo innuit totum exercitum alacrem, & omnes planè Martios fuisse. Vnde & subiungit quemadmodū ante de animalibus dixerat: *Non reuertebantur cum ambularent.* Et tantum quidem de animalibus & rotis, hoc est, de toto exercitu, quem omnibus numeris in militari disciplina absolutum, & omnibus modis ad bellandum instructum

instructū figurauit. Nūc porrò quis totius actor autorq̃
 fuerit assignat, quem ipsumet Deum cap. x esse dicit.
 Ipsum est animal inquiens, quod vidi subter Deum
 Israel iuxta fluuium Chobar. Huius spiritu impelleban-
 tur duces, impellebātur milites. Hūc videt longe supra
 caput animalium in christallino loco, velut infirmamē-
 to, solio suo sapphyreo insidere. Isto deoloquēte omnia
 mouebantur: rursus hoc remandante omnium anima-
 lium alæ subsidebant, id est, duces Deo & eius impulsio-
 ni auscultabant, vt quoquò ille impelleret, huc duces
 sequerētur. Est enim cor principis in manu Dei, & quò
 vult impellit illud. Bellū igitur hoc, Dei bellū fore pro-
 pheta significat, ne quis non pertendendum cogitaret.
 Vnde & Hieremias dixit: Non est malum in ciuitate
 quod Dominus non fecerit. Describit autem Dei maie-
 statem, à solij ipsius magnificentia: Quòd autem dicit:
Sub firmamento pennas animalium rectas alterius ad alterum,
 nihil aliud significat, quàm duces de Dei mandato ar-
 rectis auribus perpendisse. Et quicquid ille ducibus sic
 imperaret, id statim omnem percurrebat exercitum.
Nam cum fieret vox à Deo super firmamentum quod erat supra
caput animalū, stabant ista, & tantisper submittebant alas suas,
 id est, quietè auscultabant, quid Deus mandari mili-
 tibus vellet. Accepto autem mandato, & mouentibus
 istis suas alas, id est, dum exequerentur Dei edictum,
ilicet audisses sonitum, quasi sublimis Dei, id est, maximum &
 humano maiorem. Totus enim exercitus ad ducum
 edictum sese mouebat: Vnde & *sonum quasi aquarum mul-
 tarum* fuisse dicit. Per aquas enim scriptura, vt dixi, po-
 pulos intelligit. Quòd autem Deum in hominis forma
 conspicit, indicat Deum illum, Christum mundi iudicē
 patrisque administratorem fuisse. Subministrabat

enim filius patri in omnibus istis per alicuius creaturæ induitionem: quemadmodū Ioannes dicit, Filius enarrauit. Sic Daniel quoq; per suū illū filiū hominis, Christum intellexit cap. vii. Postremò diuinæ maiestatis animum ab habitu iratum ad vindicandum instructum fuisse indicat, dum totum armatum videt: *A Lumbis deorsum quasi igni armatus rutilat, inquit, A Lumbis sursum autem electro armatus apparebat*: videlicet ignis & electri rutilatione iram eius in Iudæam signans. Pulchrè autē electrum igni coniungit: sic enim argento ipso magis rutilat, teste Plinio. Est autem electrum vbicunque quinta portio argenti auro inest. Ad vltimum autem velut epiphonemate visionem claudit. *Hic, inquit, erat aspectus splendoris per gyrum*: per splendorem totam intelligens visionem, quam splendor illustrabat: quanque (vt initio capitis scribit) aperto cœlo conspexit. In hac autem visione explicanda, totus Ezechiel tanquam in cardine versatur. Exponit autem cap. viii potissimū & cap ix, x, & xi. Vbi animalia ista alata, etiā cherub vocat, ne quis ibi angelos ex cherub fingeret. Tantū habui in gratiam istius nationis de prima Ezechielis visione dicere, quæ vt nil aliud describit, quàm exercitus Babylonici venturi aduersus Iudæos formam: ita finalis eius visio (nam & hîc mirè sudarunt) nihil aliud est, quàm futuræ post captiuitatem Babylonicam vrbs templique descriptio, quam quidem Dominus tanto antè in populi consolationem dedit, ne abducti Babylonem, prorsus omnem abijceret animum. Quam autē Ezechiel templi mensurationem tanto antè videbat futuram: hanc Zachariâs cap. i. præsentem fieri conspicit. Atque hæc quidem in Ezechielem dicta sufficiant. Si quis

quis alius longior hîc esse velit, per nos licebit, quibus materiam præbuisse fat est, neque sanè admodum nobis placent illa longa præmansa. Quid autem per Gog & Magog idem propheta voluerit, paulo antè ostēsum est. Et præter hos tres nodos, cætera huius prophætæ facilia sunt omnia.

Postquã summã manũ scriptis meis in Danielẽ, imposuissẽ, ecce quidã prodijt cum suo in Danielẽ prologo. Et primũ quidem mixturã ferri & luti in vnã massã fingit, & tanquã medicus ex duobus pharmacis vnã facit potionem, ac proinde non duos reges, nec regna duo, sed vnum fore sentit. hoc fallitur, dum nescit Romanicæ regem Papam, alteram horum partem obtinere, ac proinde & alterum pedum regem esse. Quam ob rem & solius Caroli cæsaris in pede meminit, quod qui facit, nil se horum intellexisse prodit. Nam textus clarè contrã tendit, vbi ait: Pedum quædã pars erat ferrea, quædã testea. Et in expositione, Vidisti inquit, partem digitorum samiam, partem ferream. Nō dicit, vidisti digitos omnes aut totos pedes ferrosamios. Porrò mistura hæc luti cum ferro sic capiendã est, quemadmodum ad poculum miscendo committitur. Hic enim mistura quædam finium fit ad cohærendum, non prorsus omnia in vnum commiscentur. Quemadmodum fit quoque dum vallum vetus instauramus, nō miscemus omnia, sed tantum mixtura finium præuia aggerimus noua: ni fiat, non teneat: Sic ferrei digiti ad samios cõiungerentur. Dicunt enim, Miscebuntur quidẽ humano femine, sed non adhærebunt. Quod autem duo regna forent in pedibus vel in deliquet, quod dicit: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit deus cæli regnũ æternum.* Regnorum subaudi, quorum postremò memi-

nerat, nempe pedum. Nam in diebus horum regnorum suscitaturus esset Deus aduentu suo in iudicium, regnū illud gloriosum, quod in diebus priorum regnorum, capitis, pectoris, ventris aut crurum, neque fecit, neque iam facere queat. Præterierunt enim dies administrationis ipsorum. Sed vel hinc etiam patet duo regna in pedibus esse, non tantum vnum. Quia enim diuisum regnum dicitur, geminum igitur & duorum regum fore innuitur. Nam si vnus tantum regis, quomodo etiam diuisum sit? Cum autem duos reges regnatos spiritus prospiceret: ergo & pluraliter illa extulit. *Commiscebuntur quidem* inquit, *sed non cohererunt*, scilicet duo diuisi regni reges. Quod autem & singulariter regnum dicit, eo fit, quod vtrunque Romanū foret, origine videlicet & substantia vnum, cæterum administratione geminum. Quemadmodum enim ex eodem trunco duo propagine existunt, & vna est arbor, sic vnum regnum foret istud pedum regnum, sed administratione & ditione geminum.

In eodem prologo dicit iste, transplantationem pedum à crure factam propter Romani iuris retentionē. Atqui non dicit, leges transferendas, sed regnum transplantandum absque vlla legum aut munium mentione. Quia igitur principalis pars cruræ regionis, pedū regna sunt, ergo de crurum regno, pedum regna deducta sunt, non quòd leges, sed quòd ditiones ipsæ inde transplantatæ sunt.

Et quia errat dum vnum regnum pedum ponit cum duo sint, proinde & hoc falsum est quod dicit, Propter reges fortes aut non fortes, regnum hoc ferreum aut luteum à Daniele appellatum. Nam quemadmodum nos probauimus, ab eo quod alterum regnum iustam
regni

regni & faciem & administrationem esset habiturum, alterum verò nudum ferè titulum: nam præter pauculas ciuitates dictas regias, quid accedit ducibus Austriæ imperatoribus factis? Pontifex igitur cum solidum imperiũ totius Romanix & circa obtineat, ergo meritò hic ferrũ, illi testa sunt. Et addit quidam, Haud scio, an lutũ hoc admixtum ferro, in omnibus regnis, episcoporum & principum mixturam, ad moderandã vim regix potestatis significet. Quod vanissimum nugamentum esse sciet ille qui me legerit. Et quod tandem docedi genus est, præsertim in Theologiam professo, dicere, Haud scio. Quod si ipse nescis qui scribis, cur legentes scire quod tu nescis, suades? Eiusdem monetæ est quod idẽ ibidem negat, vtrunque gladium ad pontifices pertinere. Omnino enim vterque gladius pontificum est, (sicut est & Presbiteri Ioannis apud Indos) posteaquã eis dominus vtrunque concessit. Concessisse autem quemadmodum alijs principibus nulli dubium est. Res etenim ipsa docet, & Scriptura futurum tanto ante contestata est. Transfert enim regna Deus in quos vult: nec disputandum subditis quomodo illi pareant. Disputent sanè & decernant hæc inter se reges. Nobis spectandum non quis rex, qua via regnum suum inuadat, sed cui regi regnum det Deus. Quemadmodum id pulchrè ostendit Poeta in duobus tauris, qui

Frontibus aduersis inimica in prælia ruunt.

Stat pecus omne metu mutum, mussantq; iuuenta.

Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Atque hinc Iouem trutinantem poeta fingit.

Quem damnet labor, & quò vergat pondere regnum.

Spiritualis persona sit, an secularis, nil ad subditos:

quemadmodum alibi id fufius monftratum eft.

Quod autem in v i i capite de regno Romano dicit, ipfum diftractū eſſe in decem regna, indigna duco quæ refutentur. Nam & multo plura regna imperium hoc habuit, & in multo plura diftractum eſt. Nimirum in totidem ferè ſectum regna eſt, quot habuit. Vis ſcire autem quot habuerit? Vide Floros & Trogos: cætera ſuo diximus loco.

Quod ex paraulo cornu Mahumeten Turcam fingit, nihil eſt. Nam hic ſibi plura tribus regna ſubiecit, Vide Eraſmum in ſuo de Turca libello.

Ferè fugerat quod cap. v i i i Gloſſa luſerat, ibi: Intel- lige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur viſio. Quia finis dicit, proinde inquit, non de Antiocho tantū, ſed de Antichriſto etiā intelligenda hæc viſio eſt. Atqui pro ſubiecto argumēto finis capiendus eſt. Eſt enim ſuus cuiq; rei finis, & ſua diuturnitas. Sic finis & nouiſſimū tēpus iudaicę politiæ ſub Chriſti aduentū appetebat: & de hoc tēpore hīc loquitur, ppheta. Sic Moſes, nouiſſimo inquit, tēpore cōuerteris ad Dominū: nempe aduentante Chriſti regno, quod ſub Tiberio illis ad Veſpaſianam vſque ſubuerſionem contigit. De quo tēpore & Eſaias dixit: Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini: quemadmodum Micheę iii. quem hodie certè ibi non eſſe conſtat. Sic Iohel. i r. In nouiſſimis diebus effundam ſpiritum meum. Quin & Ezechiel eadem forma verborum Gog & Magog (hoc eſt, quemadmodum ex Machabæis manifeſtum eſt) Antiochum hunc cum ſuis præfectis in nouiſſimo annorum venturum dicit ad terram quæ reuerſa eſt de populis (Aſſyriorum & Babyloniorum, ubi captiui fuerant) ad montes Iſrael, ubi ſub mundi finem neq; illos futuros:

Eſai. 2.

futuros, neque Gog venturum esse certum est: videlicet
Ezechieli subscribit Daniel & c.

DE SINU ABRAHAE

SUNT qui Sinum Abrahamæ, promissionem de Christo
factam Abrahamæ intelligant: In semine tuo benedicē
tur omnes gentes. Cum enim, inquit, sinus iste Gen. 22.
corporeus esse nequeat, & anima hominis post mortē
nullam sedem locumue manendi habeat, nisi verbum
Dei, vsque dum à resurrectione ad claram Dei faciem
veniat, non potest igitur (inquiunt isti) sinus Abrahamæ a-
liud esse, quàm iam dicta promissio. Hi ex inconcessis
porrò pergunt colligere quæ volunt. Nam quod dicunt,
cum sinus iste corporeus esse nō possit: anima post mor-
tem nullum locum habeat nisi verbum Dei, id nega-
mus illis. Nam animis post mortem locū esse ex Chri-
sti verbis probo, dicentis: Hodie mecum eris in Para-
diso. In Paradiso igitur fidelibus animis sedes est, & re-
frigerij locus: quemadmodum Salomon vocavit. Atq;
cum hic Christum spirituali suo quodam visu præsentē
habeant, & contueantur: ergo Paulus dixit: Cupio dis-
solui, & esse cum Christo. Cui hæc loca non persua-
dent animis aliquem à morte esse locum, huic persua-
deant isti nullū illis esse locum, nisi verbum Dei. Atquā
Paradisus non est verbum Dei, sed locus corporeus:
Peccant igitur qui id dicunt cum sua falsa inductione,
& nos seducunt à loco quodam, in suum quendam nul-
lum locum.

Adde, si promissio illa sit Abrahamæ sinus, quemadmo-
dum isti volūt, & in sinu Abrahamæ sint quotquot in pro-

missione sunt: qua igitur ratione angeli à morte vehunt animam Lazari in sinum Abrahamæ, cum vbi quis est, non sit & eòdem gestetur, cum sit vbi est?

Addunt etiam, fideles discedentes in hac promissione, obdormiscere, & in extremum vsque diem in eadem, velut in sinu quodam dormituros esse. Quod si verum sit, necesse est, cum animæ essentialia sint, vt alicubi dormiant in verbo. Quòd si autem alicubi dormiunt, & alicubi esse consequens est. Quod enim dormit est, quod autem est, alicubi vt sit necesse est. Si est alicubi, quomodo igitur ij superius affirmât animis à morte nullam, nisi verbum Dei sedem esse? Etenim verbum non locus est, sed strepitus.

Nunc porrò quòd animis dormitionem assignant, id vt inauditum est, ita & contra scripturam est. Testatur enim Christus, Lazarum in gloria esse: qui in gloria est & refrigerio, quomodo idem etiã dormit? Nisi credendum sit Mosen & Heliam, cum gloriosi in monte serios miscerent sermones, somniasse. Aut si dormiunt animæ, quomodo euangelizantem Christum exaudierunt iuxta Petrum? Quomodo Elizeus mortuus prophetauit? an potius genium hominis fuisse credamus reclamante scriptura? Quòd autem scriptura mortuis dormitionem tribuit, non id de animis, sed de corporibus legèdum est. Corpora enim in regeneratione suscitabuntur, non animæ, quas immortales esse, & Christus testatur & Hieremias. Quod eò dictum volui, ne hinc patrociniū mutuentur, quòd dormire legantur sepulti.

Cæterum non tam miror hominum inscitiam, quàm temerariam arrogantiam, dum citra vllum Scripturæ suffragium, tam incunctanter aiūt quæ incomperta habent

bent. Nam cum scriptura alicubi doceat, quid sit in sinu alicuius esse, nempe id quod apud aliquem esse: quemadmodum Io. 1. videre est. Filius qui est in sinu patris, de quo antè dixerat, Et verbum erat apud Deum. Quis igitur demens non malit Scripturæ phrasim sequi, ut in sinum alicuius esse, sit apud illum esse, quam monstrum huiuscemodî expositionis amplecti? Nam si in sinu Abrahæ, idem sit quod in verbo Abrahæ factum esse, sequatur & in sinu patris idem fore, quod in verbo patri factum esse.

Proin ego sic sentio simpliciter intelligendum esse, ut in sinu Abrahæ fuerit Lazarus, hoc est, apud Abraham & in eadem cum Abraham gloria. Nil refert autem verè factum quod legitur, an exemplum facti esse intelligas. Hoc satis constat, quicquid huius est, sub exemplum nobis à Christo datum esse, ut scientiâ salutis in tempore nobis comparemus, ne serò poenitentibus non sit locus: atque ut monenti cauentique poenas Scripturæ potius credamus, quam serè experientiæ. Tantum habui quod in istos de sinu Abrahæ dicerem. Neque enim status animarum à morte tacendus videbatur: sed neque falsus mussitandus.

Et erat fortasse in sinu Abrahæ quiescendum, nisi promissioni David iam dictæ, promissio Iacob de sceptri æternitate, quam nostri non minus quam illam cõtaminarunt, esset addenda. Non enim hic sensus est, quem isti in Christo Iudæo nato esse putant: Christum propterea iam olim venisse credendum esse, quod sceptrum per Romanos ablatum sit. Nunquam enim ablatum est perpetua ablatione, vnde hic Iacob loquitur. Auferri enim ad tempus posse non negat: id quod & sub Nabugodonosor passi sunt, sed in totum auferendum

negat. Quod enim restituitur, non auferri dicendum sit, hac saltem Iacobi ablatione: quemadmodum & propheta dixerunt instante iam captiuitate Babylonica: Castigationem faciam, non consumationem: intellige absolutam, alioqui consumatio septuagenaria facta est: quemadmodum prædixerat Sophonias: Consumationem faciet Dominus cunctis habitantibus terram. Quod porro arguantur quidam, tempore captiuitatis Babylonicae, alienatum, non ablatum sceptrum, id inscitum est. Ablatum enim verè erat, & dici possit, tametsi non ea vnde Iacob dixerat, ablatione, nempe perpetua. Quod autem ablatum negat, quia stirps regia in Iechonia permanserit, indoctum est. Neque enim stirps ipsū sceptrum aut regnum est. Potest enim regnum aliquod auferri iure belli superstitie regia stirpe: & potest regia stirps sine regno esse, testibus illis,

— *nec Graijs seruitum matribus ibo.* Item

— *iuuenemq; superbum*

Seruitio enixè tulimus.

Et

Me seruam seruoq; Heleno transmisit habendam.

Sensus igitur Iacob hic erat: Sceptrum Iuda nunquam auferendum, sed æternum fore. Veniet enim Silo, inquit, qui ipsum æterno dominatu esset excepturus, & administraturus: quemadmodum Gabriel testabatur. Alioqui si sententia hæc subsistat, bis mētitus sit Iacob, quod sceptrum bis ablatum fuerit, prius quàm Silo venisset, semel per Babylonios, semel per Romanos antè Christum natum, qui ablatum ab Iuda sceptrum, alienigæ Herodi tradiderunt, sub ea nimirum tempora, quibus Daniel Chrisma auferendum tradidit. Et de his sat dictum.

DE

DE MORTE, PECCATI

P O E N A.

Cum igitur scriptum sit: *Quacunque hora peccaueris morte morieris*: Hic quaero quid per mortem intelligatur. Respondent quidam, Pudorem illum esse & confusionem, quam ex peccati sensu patitur peccator: Atque hanc passum fuisse Adamum, audita in Paradiso Dei voce: Adam ubi es? Hæc illi. Expendamus autem quid scientiæ sit in hoc responso. Si enim pudor mors illa est, & hunc Adam passus sit, mortemque hanc dicunt illum sensisse, planèque mortuum fuisse eo die: proinde sic ego inſto: Si tum mortuus est eam mortem Adam: quomodo igitur Christus mortuus sit pro illo: si quidem ipse Adam pro se mortuus est illam mortem peccati poenam? Si enim Adam passus est illam illo die mortem (quæ multa peccati arat) iustificatus est igitur sua illa morte à peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Nec Deus punit bis in id ipsum. Frustra igitur Christus mortuus sit, non tantum pro Adamo, verum pro omnibus adeo iustis. Omnes enim iusti patiuntur, & passi sunt hanc sui confusionem, & moriuntur hanc mortem. Porro ubi satisfactio est propria, ibi frustranea est aliena. Euacuat igitur hæc doctrina mortem & redemptionem Christi, ac proinde totum Christum. Citra controuersiam enim istud, *Morte morieris*, multa seu poena peccati est, qua soluta, à peccato, ut Paulus inquit, iustificati sumus. Et quod mortuus est Christus, peccato mortuus est semel. Quasi dicat, non bis moriendum erat pro peccato. Si quidem igitur hæc mors, quam isti confusionem appellat, peccati multa est, & Adam, ut isti aiunt, hanc semel mortuus est, pro-

pria igitur morte depensum est debitum, & frustraneus est Christus. Necessse est igitur, doctrinam hanc esse impiam, & omnibus modis fugiendam.

Sic dicere debebant: Duplicem esse mortem: Vnam verbo sententialem, alteram re ipsa executiuam. Et Adamum, quia de lata sententia, verè mortuum fuisse statim atque peccauit, & hanc illum mortem sensisse. Nō mortuus est autem sententiæ effectu, seu executione. Porro sententia illa mortis, seu mors illa sententialis, quam Paulus condemnationem, legem, & iudicium vocat, de qua latius in Daniele: Hæc inquam mortis iræque sententia, verti ab eodem illo Deo in vitæ gratiæque sententiâ poterat, quæadmodū factū est. Cui alteri sententiæ quisquis credit, is liberatus est à priore illa sententia: quemadmodū scriptū est, Ioannis v. Qui credit in me in iudicium non veniet, sed transijt de mortem in vitam. Qui autem ad Christum non venit, hic iudicatus est, Ioan. i. i. Vnde & de vidua impia Paulus dicit: Hæc viuens mortua est. Et Christus: Sinite mortuos, mortuos suos sepelire. Erant enim isti iudicialia & sententiali morte iam tum mortui. In qua morte, vt etiam in peccato, nascimur omnes. Sententia Baptismi autē, siquidē illi credimus, redimus in vitā & gratiā. Itaque sententia tantū & verbo mors & vita vehuntur, quantisper in humanis existimus. Simulatque decedimus autem, executio sententiæ fit, prout deprehendimur. Sic enim scriptum est: Qui reddet vnicuique iuxta opera sua quæ fecit per corpus suum, videlicet in hac vita, hoc est, in quo quisque statu mortuus est, iuxta hunc iudicabitur. Post hanc vitā sententia & sententialis seu verbalis mors exit in effectū & executionē, quæ ad mortē vsque suspenditur in poenitentiā. Sic erat docendum de mor-

te,

te, peccati poena, nobis pro peccato irrogata, quam iusti moriuntur quidem aliquandiu sententialiter, non actu autem, aut re ipsa. Sic enim Christus qui sententiam in se trāsumpsit, pro omnibus passus in se credētib. est. Trāstulit autem sententiā in se à nobis: quē admodū Paulus scribit de syngrapha ad Colossenses, Et ad Galatas. Factus est inquit, maledictū & peccatū pro nobis. Committendum igitur vnicuique, vt priusquam decedat, sententię mutationem faciat, & pro lege Euangelium accipiat, pro maledicto benedictionem. Porro maledictionis sententia in Deuter. Galat. i i i citata, ita mortem Geneseos includit, vt mors Genesios maledictionem Deuteronomij continet: sub qua quantisper manemus, tantisper sub vmbra mortis sumus: quemadmodum propheta loquuntur. Quod autem idem addit, Omnes etiā corporis afflictiones peccati poenam esse, id falsissimū esse sciunt, qui solam mortem iuxta istud Dei decretum peccati poenā esse agnoscunt. alioqui partim pro nobis satisfaciamus, & falsū sit, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Aliud est autem castigatio pro peccato, aliud poena peccati, vnde hīc loquimur. Hęc omnibus impijs venit, illa non omnibus venit. Mors enim ex verbo certa est: castigationem autem sibi Dominus seruauit pro sua voluntate, quibus ipse velit inferendam. Atque hanc deprecari, & eleemosinis, aut alioqui bonis operibus redimere possumus. De qua castigationis redemptione Daniel intelligendus est cap. i i i i. Illa autem peccati poena quę mors dicitur, sic redimi ne utiquā potest, sicut scriptum est Psal. L X X V I I I.

Non est autem ista mors sola corporis mors, neque sola animæ mors, sed ille sub maledicto decessus: illa hęc mors est, & totius hominis est. Quippe qua à con-

spectus Dei fruitione separamur. Cæterū quod Augu-
 stin. in lib. xi de Genesi, cap. x x x i i, mortem hanc de
 mortalitate corporis tantum intelligit, id omnis scri-
 ptura præsertim Rom. v. falsum esse conuincit. Neque
 enim quælibet mors, peccati mulcta est, sed ea mors
 quæ ex peccato nobis indicitur. Atque hæc quidem
 eiusmodi est, vt ex iusta iudicij Dei seueritate irrogetur
 quæque gehennæ pœna post se trahat. Non quod
 ipsa sit gehēna, sed resuscitatis iam corporibus, & facta
 extrema sententia (quod quidem in supremo iudicio
 fiet, cum iam sententia damnationis demum exhibet in
 executionem) tum mors sequentem habebit gehennā
 ac proinde Christus solam mortem pro peccato pas-
 sus est, non etiam illum infernum qui gehenna dici-
 tur, de quo paulo post. Nisi hæc disertè teneas, facile
 fallaris. Vt si quis hoc pacto controuerfetur: Si mors
 damnationis mulcta peccati est, eaque, vt ait, æterna
 est, non igitur Christus pro nobis plenè satisfecit: neque
 enim ille mortem æternam passus est, sed tantum illam
 in cruce temporaneam. Sic nos autem æternæ mortis
 tenemur ex præuaricatione, quemadmodum docet
 iste, iam quærit plerophoria, quomodo Christus dica-
 tur, fecisse satis pro peccato, cum tantum momentane-
 am illam in cruce mortem passus sit: deinde colligitur
 non fecisse satis. Siquidem enim Dei sententia æter-
 nam mortē irrogat, quā Christus non præstitit, & iuxta
 Dei veritatem præstare debuerit si pro nobis satisfacere
 debuit. Vel igitur veritas Dei minuta sit, vel Chri-
 stus non satisfacit. Quod enim temporaneum est &
 transitorium, quomodo idem æternum etiam sit? Sen-
 tentiæ igitur Dei non satisfactū est: ac proinde falsum
 sit Euangelium, falsum sit totum nouum testamentū,
 & omnis

& omnis omnium nostrorum prædicatio : expectan-
 dusque sit alius Christus , qui illam æternam etiam
 mortem pro nobis subeat: hoc est , qui æternum pro
 nobis damnatus maneat. Responde. Hic ego vester
 discipulus hæreo , scrupum quem inieccisti ^{Æ T E R N I}
 aditione , siquid potes, exime. Equidem per omnia
 scripta vestra disquisivi , sicubi fortè inuenirem quo
 me hoc scrupo leuarem. Sed altum hic silentium. Tan-
 tum mortem æternam peccati mulctam ex Dei iudi-
 cio nobis indictam lego. Quomodo autem Christus
 temporaneam tantum mortem passus sit, & tamen sa-
 tisfecerit, huius porfus nulla mentio, nulla omnino
 ratio est. Cur autem æternitatem in debito ponitis, quã
 in solutione non expeditis? Porro cum in vobis nulla
 spes esset, mei ipsius periculum feci, & Dominum ora-
 ui vt nodum à vobis mihi implicatum, ille solueret.
 Dicam igitur breuiter sententiam , iudicabit autem
 Ecclesia.

Principio, quòd mortem hanc æternam vocant, id
 Dei sententiæ de suo addunt. Neque enim mortis æter-
 nitatem in sententia Dominus nuncupauit: si fecisset, fi-
 eri necesse sit. Stat enim sigillum hoc: Voluntas mea fiet. ^{Esai .49.}
 Proin sequatur, quemadmodum debitum peccati æter-
 num esset, & satisfactionem debere æternam esse : ac
 satisfactorem in æterna morte detineri debere. Quod
 in Christo neque factum est, neque fieri erat necesse.
 Neque enim sententia habebat mortis æternæ mul-
 ctam, sed simpliciter, Morte morieris. Scriptura infernũ
 & ignem vocat quidem æternum, verum hic infernus
 non est ipsa mors, sed mortis, vt dixi, sequela. Nam si i-
 dem sint, sequatur Christum ignem hunc passum fuisse,
 & in inferno qui Gehenna dicitur, cruciatũ esse, duoq;

falsum est. Cæterum quo lucidius hunc de morte nondum soluamus, commodū videtur, vt de Inferno quoque sententiam appendamus: præsertim cum alterum sine altero tractari non possit.

DE INFERNO CHRISTI.

VIDEAMVS autem quid de inferno Christi sentiant isti. Infernus peccati pœna est, inquiunt, ac proinde Christus infernū sustinuit, quia pro peccato satisfacere suscepit. Passus igitur est infernum, & in Diabolorum descendit consortium, inque infernū pro nobis quàm profundè nemo alius coniectus est. Videlicet hic non obscure verbis significant, se locum damnatorum infernum illum intelligere, quem dicunt Christū nostro nomine passum esse, idque triduo illo. Tenet igitur hæc natio, quòd Christus infernum illum damnandorum passus sit. Id ego nego. Hoc etiam addens, quòd quisquis hoc dicit, resurrectionem Christi negat. Non hic impietatem istorum tātum damno, sed arrogantiam adeo miror, qua fit, vt dum vendicant se scire quod nesciunt, & suam incertiam produnt, & simplicium meique similium fidem perturbant. Nos igitur quid tandem hinc sani partim ex alijs, partim ex nobis perceperimus, communicare non grauabimur. Ac primum quidem quid sit infernus, deinde quibus tandem debeatur expensuri. Capitur itaque bifariam: semel vt ipsum sepulchrum, quod in inferiori terræ loco fit significet, & sic pro ipsa etiam corporis morte ponitur: Atque hoc pacto in veteri instrumēto, & in Psalmis vsurpatur, vbi Christus in inferno, & in inferiori inferno fuisse legitur. Nihil enim hoc aliud est, quàm quòd cor-
pore

pore mortuus fuerit & sepultus. Quemadmodum id docti scribæ etiam hodie perspexerunt, & scriptis publicis prodiderunt, præsertim **BVCERVS**: qui cū eruditè & luculenter hac de re scripserit, vehementer mihi mirum est, cur **LVTHERVS** cū sciat hunc id scripsisse, & rectè scripsisse, tamen, ne quid ab alio didicisse videatur, falli magis quàm discere & manus dare velit. scio enim qui illum huius monuerint. Nemo verò mihi tam inimicus est, quin vbi bene scribit, amicus sit. Et tantùm quidem de prima inferni significatione, iuxta quam Christus, vti in Symbolo est, ad inferna descendit.

Secundo modo infernus pro Gehenna etiam ponitur, qui mortem sequitur. Quemadmodum ex vulgari more vsus est Dominus Lucæ xvi, in Epulonis exemplo. Siue enim verè factum est quod ibi legitur, siue exemplum facti est, nil refert: hoc dubium nō est, quin Dominus hīc inferni voce pro Gehenna vsus sit. Etenim ignis & flammæ ibidem meminit, & locum cruciatu vocat. Atque isto secundo modo, vt sit pœna post mortem, etiamnum à vulgo, quoties vocem hāc audit, intelligitur: quomodo etiam isti de inferno Christi intelligendum ariolantur. Omnino enim hunc vt pœnā mortem sequentem Christo adscribunt. Quod falsum esse quo clarius conuincatur, Ergo cui infernus iste, quæ gehenna est, debeatur, videamus.

Infernus igitur propriè non est mors ipsa, aut peccati ex legis irrogatione pœna, sed mortis appendix ac sequela. Sequitur enim mortem, (quemadmodum Apoc. vii pater) nisi sententiā mortis, vitæ sententiā priusquàm extremum iudicemur, immutemus & præuertamur. Quòd si quis ante extremam sententiā, mortem illam euaserit, is inferni liber est, quèadmodum Chri-

stus Lucæ x i i docet: Quando vadis cum aduersario tuo ad præsidem, in via da operam vt libereris ab eo, ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exi- bis inde, donec reddas extremum quadrantem. Et Marth. v, vbi legem seuerè enarrasset, idem dicit. His locis infernum ille vocat carcerem, exactorem diabo- lum, præsidem ipsum patrem Deum, Christum autem iudicem. Pater enim omne iudicium dedit filio. Viam vocat totum illud tempus poenitentiæ ad extremum vsq; iudicium concessum. Paulus dicit vnumquemque iu- dicatum iri prout fecerit per corpus. Vnde post hanc vitam sequatur, nullum esse poenitentiæ locum. Con- trà Petrus etiam post vitam spiritibus vt resipiscerent prædicatum esse à Domino scribit. Ac propterea dixi ad extremum vsque iudicium poenitentiæ spacium esse concessum. Vtrum vtrum horum est, nil refert. Hoc certum est, quisquis antè extremum iudiciũ ex prædi- catione, siue in hac vita facta (cui ego plus tribuo) siue post hanc vitam, sententiam illam mortis, sententiã vitæ præuerterit, illum inferni securum esse. Est mors debitum peccati Rom v i. Quod si tempori solvatur, ab inferno tutus es: Si non soluis tempori, hanc (vt ita dicã) insoluentiã sequitur (Quemadmodum hic Chri- stus monet) inferni carcer. Vt si quis creditor mihi mil- le aureos crediderit, ea lege, vt nisi intra annum repẽ- dam, compingendus sim in carcerem: ego autem non sum soluendo, sed amicus aliquis misertus mei, debitũ omne in se trasferat, ac pro me illi intra annum soluat, hunc iam nil necesse fit in carcerem etiam pro me ire. Quia enim tempori debitum soluit, & me & se à car- cere liberavit. Ita nos cum inferni gehennæ teneamur
 ex

ex præuaricatione, nisi Deo ante suum iudicium mor-
 tem pro peccato præstemus, actum sit, atque in carce-
 rem æternum eundum fuerit: misertus autem nostri
 Christus, peccatum cum morte, peccati multa in se
 trāsumpsit, & præstitit: quo facto nō necesse habuit, etiā
 insoluentiæ multam pendere: soluit enim temporī.
 Cū igitur ex ista peccati insoluentia, infernus succedat,
 soluatur autē morte, quā Christus pro nobis vicariam
 præstitit: Quisquis igitur Christū infernū passum dicit,
 is Christum morte sua pro peccato satisfacisse negat.
 Quod si autem nō satisfacit, relinquitur illum adhuc
 damnatum in morte esse, & nos cum eo perpetuò da-
 mnatos fore. Impius est igitur qui dicit, Christum sub-
 stinuisse infernum. Taceo quod desperationem infer-
 num esse fingunt, & hanc perpeffum esse Christum
 docent. Propriè igitur iuxta Dei sententiam loquendo
 mors non æterna dicenda sit, sed sequela hæc æterna
 est. Qui siue infernus siue gehenna dicatur, perinde
 est. Dicitur etiam à spiritu cruciatus ignis, & secunda
 Thefal. i. perditio æterna. Sed nil interest quo nomine
 appelletur, modo infernum istum pœnalem à morte
 distinguamus, & mortem totam illam hominis in Dei
 ira Deletionem esse intelligamus: quemadmodum
 illam Esaias vocat, vbi Christum pro nobis mortuum
 dicit: Quia, inquit, excisus est de terra viuentium. Istam
 mortem nō sequitur necessariò infernus, neque neces-
 sariò æterna est, sed sub conditione. Siquis eripere se
 inde priusquam illa extrema ad infernum sententia
 exeat, possit, hic & sententiæ Dei, Morte morieris, sa-
 tis fecerit, & inferno se liberarit. Hoc solus Christus
 potuit: quanquam ex legis impletione id ipsum etiam
 meruit. De quo paulo, post in resurrectionis loco. Mors

igitur ut sententialiter æterna non erat, ita nec re ipsa æterna illi fuit. Hoc illud erat quod Petrus voluit cū diceret: Impossibile enim erat vitę principē claustris mortis teneri. Nobis autem omnibus, tametsi ex sententia non sit æterna, quia tamen superare non possumus, verè æterna futura sit: Futura sit autem æterna non ex Dei sententia, sed ex nostra, quia superare illam non valemus, impotentia. Si enim ex sententia æterna sit, etiam Christo æterna fuisset. Deo autem gratia qui dedit nobis victoriam istorum monstrorum per Iesum Christum dominum nostrum. Hoc tamen obseruandum quoque est, Infernum aliquando à corporalibus ad animum transumi. Dolores enim sepeliunt quodā modo hominem. Sic primo Reg. i i capitur: Dominus deducit ad inferos & reducit. Hunc etiam Christus passus est, præsertim in horto agonizans. Verum docti scribæ fuerit inter legendum ista discernere. In hac autem disputatione, vbi de inferno Christi quæstio est, de vero inferno non de metaphorico animi inferno loquimur. Sed abruptis his de morte & inferno locis, ad legis sententias transeamus.

DE

DE DUABUS LEGIS
SENTENTIIS.

Et primum quidem Legis sententiæ duæ sunt. Vna mortis, seu maledictionis: Altera vitæ, seu benedictionis. Secundum hoc sciendum quoque, quòd Lex (quemadmodum Paulus dicit) non est ex fide, sed ex operib. Qui enim fecerit ea, inquit, viuet in eis. Atq; hæc vitæ sententia est illi dicta, qui seruaret legem: qui autem legem non seruaret, is maledictus esset: quemadmodum in eadem lege scriptum est: Maledictus omnis qui non fecerit omnia, quæ sunt scripta in libro hoc. Atque hæc quidem duæ legis sententiæ sunt. Præterea nosse & hoc refert, quòd quemadmodum benedictio legis vitam & Dei gratiam, ita eiusdem maledictio & Dei iram complectitur. Omnino enim eadem sententia est Gen. 11. Quando cunque peccaueris, morieris: cum ista, Maledictus erit qui nõ seruauerit omnia quæ scripta sunt & c.

Denique nec hoc omittendum: Cum lex ex operibus sit, non ex fide (quemadmodum Paulus ait) Christus autem dixerit, fidem etiam à lege exigere, vbi dicit: Maiora legis omittitis, misericordiã & fidem: quomodo igitur Paulus neget, legem esse ex fide, hoc est, non implendam esse fide, sed operibus? Opponit enim Paulus fidem proprijs operibus hoc pacto: Si operibus impleo legem & legis iustitiam, non opus fore illa fide, qua, credam Christum legem pro me impleuisse. Necessè est igitur duplicem esse fidem, & Christum de alia fide, & Paulum de alia esse locutum. Christus enim loquitur eo loci de legali fide, qua deberemus Deo ex proprijs viribus in omnibus verbis

Ioān .4.
Rom .5.

credere. Siquidem ex proprijs operibus, & ex propria iustitia, iuxta legem iustificari velimus. Hanc enim fidem à te & tuis viribus exigit lex. Atque hæc fides in primo mandato vbi se solum pro Deo habendum, hoc est, sibi suoque verbo credendum mandat, fundatur. Paulus autem non loquitur de ea fide, quam lex à te & tuis viribus, vt iustificeris exigit: sed de ea fide, quæ dono Dei tibi datur per spiritum, vt credas Deo & Christo. Atque hæc fides Euangelica illa est, prior autem legalis: quemadmodum etiam dilectio primi præcepti legalis est. A te enim tuisque viribus Moses hanc exigit, quod videlicet legale est, vti te & impotentem & infidelem arguat, ac dein condemnet. Illa autem dilectio qua de Christus suis dicit: Qui diligit me, sermonem & c. Euangelica est, non legalis. Ista enim non exigitur à nostris viribus, sed gratis infunditur nobis per spiritum sanctum. Itaque quod lex à nobis exigit quod in nobis non est, id Christus per spiritum nobis sine exactione illa gratis infundit. Atque hoc quod lex ita à nobis & nostris viribus opera exigit, vt ijs operibus ex nostris ipsorum viribus factis iustificemur, hoc illud est, quod Paulus dicit, legem esse ex operibus, id est, nisi tuis ipsius viribus eam impleas sine aliena gratia, occidat te & maledicat, iuxta sententiam: Maledictus omnis qui non fecerit & c. Sin autem serues tuis viribus totā, tū viuas iuxta sententiā istā: Qui fecerit ea homo, viuet in eis, id est, iustificabitur & saluus erit. Illi autē istud, *VIVET IN EIS*, de vita corporali tantū intelligūt, dimidiā legis partē nō intelligunt: ac proinde totā legē hac inscitia prophanāt. Vt enim Dominus tāto potentius nos nobis monstraret, vtraque & durissima maledictionis, & lætissima benedictionis sententia ad conandum,

conandum, & periculum virium nostrarum faciendū nos inuitat & prouocat. Ira omni modo nos ad conandum pellectos voluit. Si legem faceremus, viueremus: si non faceremus, mortui & damnati essemus. Quod quidem hoc consilio fecit, vt si, neque maledictione pessima, neque optima benedictione ad implendam legem moueri nos videremus, hoc alacrius confugeremus ad Christum. Primus igitur error hoc loci est, quod istam vitæ benedictionem corporaliter intelligunt in bonorum affluentia, in honore apud homines & pace externa, planè contra ingenium legis, contra mentem Moysi, & consilium Dei: deniq; contra expositionem Pauli & Christi. Nam rogatus Dominus à quodam legali, quid faciendo vitam æternam assequi posset, Respondit: Quid legis? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum. hoc inquit, Fac, & viues. Quod si Christus in suæ vitæ responso, corporalem vitæ benedictionem intellexisset, cum alter de vita æterna rogasset, quid, an non sophisticôs egisset? qui de cepe, quod dicitur rogatus, allium respondisset. Cum autem ipse sophisticè loquentes exosos habeat, qui fieri posset, vt quod in alijs odit, ipse committat? De vita igitur æterna rogatus, de vita etiam æterna respondit. Nam & Paulus: *Mā* ROM 7. datum inquit, quod erat ad vitam, hoc ipsum confirmat. Qui aliter exponit, ex Christo sophisticam facit. In re manifesta nolo longior esse. Alioqui si quis velit conferat cū his caput ad Gal. II 1. Quod cū per se longè clarissimum esset, istorum illustratorum, si Dijs placet, opera, ita obnubilatum est, vt intelligi nulla ratione ab Ecclesia possit. Factū est autem huius vocis ignorantia, vt lex manserit dimidia sui parte non intellecta. Factū

est, vt Pauli mens ad Galatas 111, vbi in summo theologia gradu versatur, fuerit obscurata. Factum est denique vt dignissimus ille locus Rom. x, Christus est finis legis ad iustitiam omni credenti, miserè iaceat vitiatus. Omnino enim Paulus hoc agit: Cum Iudæi suis viribus legem implere non possent vt viuerent, Deum misisse Christum suum factum sub lege, qui finis legis esset, id est, qui legē pro nobis consumaret: quemadmodum & ipse alibi sonat: Non veni soluere legem, sed adimplere. Omnium horum optimorum locorum obscuracionem istis iure referimus acceptā.

Causa autem erroris fuit, quòd hæc legis sententia, Qui fecerit ea homo viuet in eis, visa sit stabilire iustitiam operū, contra quam isti rectè coniurarunt. Quod si autem Mosi & Dei mentem rectè percepissent, non opus fuisset corruptelis istis, aut flexuris. Neque enim quia facienti legem promittit vitam, ergo statim ex lege, aut legis operibus iustitia est, aut vita: sed ideo promisit legem facienti, vitam, vt ad conandum pelliceret, & frustratos occideret, occisos autem per Euangelicam fidem viuificaret. Etiam hanc legis sententiam, viuet in eis, iuxta mecum intelligit Sedulius. Tantum habui de primo istorum in legem errore, & summo intelligendæ legis impedimento.

Alter erat, quod primum præceptum dilectionis & fidei, de Euangelica dilectione & fide passim intelligant, & non legaliter. Nullum discrimen inter fidem aut dilectionem legalem & Euangelicam habentes, quod nos esse antè ostendimus. Hac istorum confusione iniuria fit legi, vt à sua legali & natia virtute, ad alienam virtutem, nempe Euangelicam, deflectatur. Legalia enim legaliter, Euangelica Euangelicòs forent tradenda

tradenda, non vastè vt isti faciunt, commiscenda. Postquam autem sententiam vitæ ex legis operibus ab istorum corruptione vindicauimus, nunc hoc quoque consequentur, vt ex istius sententiæ ignorantia, Resurrectionem Christi nunquam etiam intellexerint.

DE RESURRECTIONE

CHRISTI.

CVM Christi resurrectio sit omnis scientiæ & fidei fundamentum, foedissimum igitur sit, hanc nõ intelligere: De Resurrectione igitur videamus, ostensuri, qua nam ratione Christus resurrexerit, & resurgere debuerit. Quo item nostro commodo: & hoc commodum denique quo pacto ad nos redeat monstraturi.

Ac primùm quidem hoc sciendum est: Christum nõ gratis accepisse resurrectionem, sed ex merito: emeruit enim hanc legis impletione. Scriptum est, Qui fecerit ea homo, viuet in eis. Christus igitur, cum legem impleuerit, necesse habuit ex ea viuere. Porro vt solus legem impleuit, ita & solus resurgere suo merito dignus fuit. Quod quo clarius etiam sit, adiiciendam duxi quandam beneficiorum Christi bigam. Dixi superius duplicem esse legis sententiam, maledictionis vnã ex lege non impleta, alteram benedictionis ex impleta. Deinde hoc constat quoque, Christum pro nobis factum sub lege, vt quod nos peccaueramus in has duas sententias, ille sarciret. Primùm igitur peccando in legem, priorem maledictionis & mortis sententiam incurrimus. Proinde Christus pro nobis factus

sub lege, hanc sententiam cum causa, hoc est, cum peccatis nostris in se recepit, & maledictus morti que obnoxius pro nobis factus est.

Secundò autem benedictionis sententia excidimus, quia legem non fecimus. scriptum enim erat, Qui faceret ea homo, ille tantum viueret. Iam scriptura dicit nos omnes exorbitasse, solum autem Christum legem impletum venisse & impleuisse: Debit igitur viuere & resurgere, quemadmodum fecit quoque. Et hoc quidem hactenus de ratione, ob quam resurrexit, & resurgere debuit. Quod autem nostro id commodo & nostra causa fecerit, paucis etiam dicendum videtur.

Dicit enim scriptura, Christum pro nobis factum sub lege. Item, Christus est finis legis, ad salutem omnium credenti. Cum igitur pro me ille sub legem factus sit, quicquid igitur in lege fecit, mihi, & meo nomine fecit. Quòd igitur priorem maledictionis sententiam moriendo expediuit, id mihi etiam fecit. Rursus quod alteram benedictionis sententiam resurgendo consumauit, id quoque mihi fecit: quia mihi sub legem factus est, non sibi. Nostro igitur commodo quicquid huius est, factum est. Quo pacto autem commodum istud mortis & resurrectionis ad nos redeat, id nunc videndum est quoque. Quod enim effecit, hæc omnia nil nobis pro sint, nisi erogandi modum constituisset. Fit itaque hoc per verbum Baptismatis, ubi dum in nomen filij baptizamus, totius filij & filietatis sumus participes, ut quicquid illi vnquam acciderit, nobis arrogemus licet. Quod igitur Christus mortuus est peccato, id tanquam ipse fecerim, mihi ex Baptismi virtute, quam ex verbo habet, arrogo. Quod item resurrexit in vitam, id quoque ut meum mihi ex baptismo vendico: quemadmodum

admodū Paulus Colossen. ii, vbi baptismū prædicat, exponit. Virtute igitur verbi baptismatis crediti, resurrectione Christi fit mea. Quia autem Christus resurrectione iustificatus est à morte in æternam gloriam, & hanc pro nobis ex impleta lege obtinuit, ergo Christus resurrexit propter iustitiam nostram. Quemadmodum enim ipse resurgendo à morte iustificatus est in vitam & gloriam æternam, ita & ego eius resurrectione, quæ ex baptismi verbo per fidem mea fit, à morte iustificatus sum in vitam æternam. Atque hoc illud est, quod Paulus dixit: Et resurrexit propter iustitiam nostram. *Rom. 4.* Quem locū cū omnibus id genus alijs, nemo neq; patrū, neq; filiorū hætenus intellexit. Omnino enim iustitiā & iustificationē hoc loco sic accipit, vt sit glorificatio in vitam æternā: quemadmodum & prima Timothei. *111* fecit: Iustificatus est spiritu, inquit, id est, glorificatus est, & Reposita est mihi corona iustitiæ: quæ est finalis & re ipsa perfecta iustificatio.

Postquam autem qua causa Christus resurrexit: quo item nostro commodo, & hoc qua ratione ad nos redeat, diximus: nunc ad Ascensionem descendamus, si tamen hoc prius dixerimus, Christum tertio die rursus surgere debuisse: quia sic scriptum erat Osee vi, & tertio die benemane. Nam & hoc signatum erat ibi: Ex utero ante luciferum genui te.

DE ASCENSU DOMINI.

DE Ascensu igitur isti pauca quidem & vana dicunt. Ideo, inquit, ascendit, ut impleret omnia & ubique esse posset, quod quidem non poterat in terra. In terra enim non poterat omnibus esse conspicuus, propterea eò concessit, ubi ab omnibus conspici posset. Hæc illi. Porro dicere Christum in hoc tantum ascendisse, ut impleret omnia, hoc est, ut pro œconomia regni sibi commissi, omnem omnium potestatem & celestium & terrestrium haberet, ea propria non erat causa ascensus, sed potius appendix & honor à patre ascendenti filio iniunctus exhibitusque. Alioqui cum Paulus nos unà cum Christo ascendisse, atque à dextris Dei consedissee ait, sequatur nostram quoque ascensionem, nil aliud esse, aut fore, quam ut omnia per eam impleamus. Ad hæc, cum dicunt, Christum in hoc tantum ascendisse ut impleret omnia, non vel tantum facerent, ut quid propriè sit implere illum omnia, doctè disertèque exponerent: nempe spiritualis sui regni œconomix (de qua illi nil norunt) inaugurationem susceptionemque esse. Quam œconomiam tametsi acceperit quidem à patre vehendam in die resurrectionis, non inchoavit tamen ante Pentecosten. Quam ut spiritualiter aggredereetur, quemadmodum à Deo antè ordinatum erat: ergo ab externa hominum consuetudine auferre se debuit: quod quidem & fecit dum in cœlum ascendit. Verum ut sic omnia impleret, non erat causa primaria ascensus, sed secundaria, seu potius subsequens & accessoria. Primaria enim causa hæc erat: Quia legem impleuerat, & Deus implenti legem vitam & beatitudinem cōdixerat, quemadmodum superius visum

Psal .3.

sum est: ergo ista beatitudo & gloria regni cœlorum fi-
 lio Dei debebatur à patre. Quia autem debebat hanc
 illi pater, ergo & præstitit. Istâ enim regni cœlestis glo-
 riam complectebatur ex debito legalis illa vitæ bene-
 dictio, quemadmodû id latius in Christû exponit Psal.
 XXI III. Quis ascendit in montem domini? id est, in cœ-
 lum. Respondet: Innocens manibus & mundo corde.
 Huic enim soli attollentur, id est, recludentur illę eter-
 nales cœli portæ. Quis autem est ille rex gloriæ, cui
 soli illæ recludentur? Dominus virtutum, inquit, id est
 Christus, ipse est ille rex gloriæ: huius enim merito
 attollentur, quippe qui solus natura inuocens fuit.
 Vnde & Ioan. I I I dixit: Nemo ascendit in cœlum præ-
 ter me, qui descendi de cœlo. Quêadmodû & alibi dicit:
 Spiritus sanctus arguet mundum de iustitia, quia vado ad
 patrem. Quasi dicat: Nō credet mundus neminem præter
 me proprio merito & suapte iustitia saluari, aut ad Deum
 venire posse. Quêadmodû igitur impletio legis prima-
 ria causa erat resurrectionis Christi, ita & ascensionis
 erat. Quod autem Paulus ascendisse illum dicit, ut impleret
 omnia, accessoria causa erat, ut dixi, nō primaria. Quan-
 dum isti ut vnicam & primam vehunt, ascensionem
 Christi prorsus inutilem reddunt: atque vbi optimè
 perceperis quæ hinc scripserunt, inuenies tandem
 inter resurrectionem & ascensionem nil illos discreuis-
 se. Ego autem ista longum discrimino. Resurrectio e-
 nim nō est statim ascensio, neq; ascensio statim resurre-
 ctio. Resurrectio tantum corpus quod mortuum erat spi-
 rituale reddit: ascensio autem resuscitato illi corpori glo-
 riam vultus Dei fruendam exhibet. Hæc gloria variè ap-
 pellatur: Etenim regnum Dei dicitur, & vita æterna:
 item, gaudium Domini. Quod autem qui resurrexit

non statim gloriam hanc habeat, vel hinc manifestum esse potest, quòd Dominus in iudicio dicturus illis iam refucitatis: Venite in regnum quod paratum fuit vobis à condito mundo, frustra eos ad possessionem vocet, si iam habeant. Tametsi igitur Christus resurrexisset, adhuc tamen vt regno hoc Dei pòtiretur, ascendere habuit. (loquor autem de Christo quà homo & carerit, cui accidit quicquid nostræ carni in resurrectione euenturum est). Hoc dico, quod quidam illud, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem, sic exposuit. Christus id non dicebat de sua persona, sed de Mariæ persona. Ipse enim iam pridem, inquit, ascenderat, cum resurrexit. Quo quid queat dicit vanus, aut mendacius? Vbi enim manebit tota scriptura noua, que Christum ipsum dicit personaliter ascendisse quadraginta dies post resurrectionem: unde Ascensionis festum? In Paschate autem resurrexisse tantum. Quòd si non ascendit Christus in sua persona, n festo Ascensionis, nunquam igitur ascenderit, & vana est fides nostra. Si enim non sit ascensus ad gloriã, nec gloria quidẽ sit, quã nõ habebimus si Christus nõ accepit. accepit autẽ in die Ascensionis, quẽadmodũ Paulus dicit: Assumptus est in gloriã. Proinde hanc & nos habituri olim sumus. Quo pacto autem quaque ratione, hæc Christi ascensio per baptismum nostra fiat, in præcedenti articulo dictum est. Hæc erant, quæ, me iudice, isti in Christi mysterijs vel obscurarunt, vel corruerunt. Nunc quæ ad Ecclesiæ politiam attingunt, paucis etiam perstringemus. Et primùm de poenitentia.

D E

DE POENITENTIA

& longo discrimine baptismatum
Ioannis & Christi.

QVIA autem mira varietate hinc obscuro sunt, ut quid velint à nemine percipi possit: ergo & hic locus erat expendendus. Nunc enim poenitentiam meram iustificationem vocant, nunc regenerationem nostri, nunc mortificationem, & renouationem: postremo contritionem & fidem in contritione erigentem & consolantem, & denique nescio quid non indefinierunt & refinierunt: ut neque quid sit poenitentia, neque quid non sit, scire queat Ecclesia. Unus enim à fructibus potius describit quàm à natura, alius à circumstantijs & appendicibus seu sequelis: ut si finias fidem esse Charitatem & bona opera, eo quod hæc sequantur fidem. Hæ finitiones sic positæ, ab omni vera logica alienissimæ sunt. Nos igitur missis istorum vastis perplexitatibus, rem Grammaticos ut decet, expediemus, & poenitentiam poenitentiam, fidem fidem esse probabimus. Siquidem enim in sacris vnaquæque vox hoc est quod sonat. Metanœa igitur nil aliud erit Latinis, quàm poenitentia, seu resipiscencia, quemadmodum neque μετάνοεισι, aliud est, quàm resipiscere, aut poenitere. Nunc quid Latinis poenitentia sit, à Grammaticis petendum est. Non videtur autem mihi alius vim vocis proprius descripsisse, quàm Ausonius. Hic in Occasionis epigrammate sic ait:

— *Qua tibi, ô Occasio, iuncta comes?*

Respondet Metanœa,

Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.

Cicero enim nunquam voce poenitentia usus est. Sed de virtute & numine describit, cū nominare nō posset.

Sum Dea quæ facti non factiq; exigo pœnas,

Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor:

aliquid scilicet fecisse, vel non fecisse. Ex hisce verbis obscurum esse non potest quid Metanœa sit, nēpe hoc ipsum quod poenitentia est, facti videlicet mali, id est, peccati: aut non facti, id est, boni dolor. Iam poenitentia à genitiuo participij fit, quemadmodum omnia nomina quæ in entia exeunt, fiunt, mutato s in a. Porro poenitet Germanicè significat *Es rewet*. Hinc poenitentia propriè *Reitwe/nō Büss*. Iam istis est iustificatio, & fides, & nescio quid non. Cum poenitentia peccati, & fides remissi peccati occurrant sibi inuicem, & magis sint ad vnum, quàm vnum. vt enim remittatur fide peccatum, poenitentiam præire, aut comitari saltem oportet. Porro qui præit, aut comitatur, non vnus est cū eo quem præit aut comitatur. Vnde & diuersos prædicatores sortitæ sunt, Poenitētia Baptistam, remissio seu fides Christum. & diuersa item signa: illa baptismum tantum aquaticum, hæc non tantum aquaticum, sed etiam verbalem seu sacramentalem in verbo promissionis constitutum. Ioannis enim propria vocatio erat sicut etiam Mosis, prædicare veteri homini legem & poenitētia peccatorum, vt Christus cum veniret cum sua remissionis fide, haberet locum (vnde & præcursor Domini dictus est) ne veniens cum remissione sua, si non inuenisset poenitentes, frustra venisset, & terram remissionis contemptricem anathemate ferisset. Contempisset autem, si non poenitentia prædicatio præcessisset.

fet. Atque hanc suam pœnitentiariam prædicationem
 Ioannes signo aquei baptismi in hoc à Deo dati con-
 firmabat, quod tamen non iustificabat, sicut Christi
 baptisma facit. Et si enim Ioannes remissionem quoque
 prædicaret, hæc tamen illius, quemadmodum nec
 Mosi, propria legatio non erat, sicut nec baptisma, il-
 lius remissionis baptisma, sed tantum modo pœnitē-
 tiaræ prædicationis erat in remissionem & fidem pau-
 lo mox reuelandam. Quod autem remissionem quoque
 prædicabat, id quemadmodum Moses quoque fece-
 rat, obiter faciebat, non vt ex suo sibi delegato pecu-
 liari officio. Vnde & spiritus vbique de Ioanne dicit,
 quod prædicarit pœnitentiam & baptismum pœnitē-
 tiæ: Ita tamen pœnitentiæ, vt ad remissionem peccato-
 rum, quemadmodum Marcus dicit, hoc est, quæ viam
 expediret ad remissionem. Contrà autem Christus &
 Apostoli Christi, accepta à resurrectione legatione,
 propriæ remissionis & gratiæ erant præcones. Quod
 autem pœnitentiam quoque prædicant, & prædicare
 mandatur, id obiter propter Euangelium, id est, remis-
 sionis prædicationem faciunt. Vnde & baptisma ha-
 bent non propriæ pœnitentiæ, sed remissionis & gra-
 tiæ. Abluit, inquit Petrus, fordes conscientiæ. Quod
 autem Paulus pœnitentiam & mortificationem ba- Rom. 6.
 ptismo etiam tribuit, id non ex substantia sacramenti
 ducit, sed quòd æquum sit, cum mortui simus cum Chri-
 sto in baptismo, vt etiam mortificemus membra,
 quemadmodum mortui decet: non inde argumen-
 tans quòd baptismus Christi sit tantum mortificatio-
 nis, seu pœnitentiæ signum. Quisquis igitur doctè
 super his loqui volet, missa horum vastitate quàm pote-
 rit Grāmaticissimè agat, & pœnitentiam pœnitentiam,

fidem fidem esse sinat. Et Ioanni tribuat suam sibi propriam legationem, & Christo suam. Loquor autem de Christi legatione & baptismo, quod à resurrectione instituit prædicandum, non de illo baptismo cum Ioannem adhuc adiuuaret. Hæc mihi in præsentia super proprietate pœnitentiæ, & baptismi pœnitentiarij Ioannis contra vastitatem istorum visum est, vt sciretur, quid propriè sit pœnitentia, commonere: vt pœnitentiæ sua sibi vis, remissioni & fidei sua tribuatur, & ne beptismata comisceantur. Neque enim valet argumentum, pœnitentia nihil prodest sine fide, ergo pœnitentia est fides. Aut pœnitentia vera non fit sine mortificatione & renouatione veteris hominis: ergo pœnitentia est ipsa mortificatio aut renouatio. Sicut nõ sequitur, Domina non est sine serua aut pedissequa: ergo Domina est ipsa serua aut pedissequa.

DE CONFESIONE.

EIVSDEM monetæ est, quòd confessionem auricularem sic commendant, vt prorsus necessariam dicant, adeoque christianum non habendum, qui hanc non vsurpet: sed excommunicandum quoque qui eam negligat. Sic enim eorum quidam dicebat, & prælo insuper promulgabat: Qui hanc confessionem omittet, ad Papatū relegator: sed neque ad Eucharistiæ participium admittetur. Qua alia via putemus Papatū coepisse primùm, si non ista? Dicite enim vos, o nostri noui Papæ, quid vobis venit in mentem, aut qua demū frôte, quouè domini verbo, hæc in necessarijs ponitis, quorum ne meminit quidem vnquam Dominus, nedum necessaria fecerit? Iussit ille prædicari sua manda-
ta,

ta, non vestra decreta, videlicet quia desolatur altaria: quia rarefcunt cœnantes: quia missa confessione, licentius peccari vident: ad minas igitur confugiunt papali iure. Paulus tentare se quemque iubet prius quàm ad Synaxim accedat, ad discernendum panem corpus à pane non corpore: auriculariter confiteri non iubet: iussurus certè, si quidem à Domino accepisset. Nunc quæ Paulus in tertio cœlo non vidit, istorum cancellaria nobis dictat & supplet. Sed postquam satis cōfessi sumus, ad absolutionem igitur transeamus.

DE ABSOLUTIONE.

DICUNT absolutionem priuatam, tam necessariã esse quàm Baptismum. Quæ scriptura autem cōfirmare possunt hanc istius absolutionis necessitatem? Vbi Christus distinxit inter publicum Euangelium & priuatum, inter absolutionem publicam & priuatam? Si id nusquam fecit, quæ igitur autoritate isti præscribunt, vnde mandatum nullum habent? Nimiũ sibi permittunt in nos, & nimium nos illis cōcedimus. Absoluti autem ad sacramenta pergamus.

DE SACRAMENTORUM

IUSTIFICATIONE.

CVM magno mundi malo quidam scribit, Sacramenta nostra non iustificare, neque vim iustificandi habere, manifesto nimirũ errore. Si enim verbum in se habent quod iustificat, & iustificandi vim habet, quemadmodum scribit Paulus: Euangeliũ est po-

t

tentia Dei ad salutem omni credenti. Et 1 Corinth. xv.
 Per Euangelium saluati estis: Impietas igitur est, sacra-
 mentis negare vim iustificatiuam, vbi scribit: Circunci-
 sio nihil est, Baptisma nihil est, Eucharistia nihil est, &
 manifestum errorem vocat, illis vim iustificandi tribu-
 ere. Sed & hoc impium est, quod ibidem addit, vel si-
 ne sacramentis nos iustificari posse, sicut Gedeon, in-
 quit, Madianitas sine signo vincere poterat, si credidif-
 set. Quod si Christus non iussisset nos baptizari, & li-
 berum reliquisset, tam verum sit quod dicit: nunc por-
 rò cum Christus iusserit suos baptizari, non potest nō
 impium esse, quod iste sine sacramētis salutem facit pa-
 rabilem. Quod si hac in re necessitatis saltē semel me-
 minisset, excusandus sit, nunc inexcusabilis est, & tan-
 to grauius peccat, quanto maior est autor. Hoc tamen
 omnium detestabilissimum est, cum iam sciat meliora,
 & sacramenta iustificare nunc palam affirmet, non ta-
 men hoc quod peccauit emendat, sed sub Zuinglij no-
 men publicis thematibus id factum vadit, quō sibi par-
 cat manticulator: videlicet populo imponimus, & ora-
 tores videri volumus.

AN LITIGARE LICEAT

N VNC tempus est, vt misso templo, ad forum & li-
 tes trāseamus. Igitur primum omnium hoc cō-
 stat: verbum Christi crucis verbum esse, quem-
 admodum Paulus vocat. Hoc verbum lites prohibet
 non obscure, nisi si nos cæci simus. Quis enim non vi-
 deat, quid sibi hoc verbi velit, Non resistendum esse
 malo? neque illi, qui in iudicio tecum contendere ve-
 lit,

lit, repugnandum? Quin tollenti pallium, addédam etiã uestem potius, quàm cum eo litigandum. Vt etiã Paulus addit, Cur non potius iniuriam patimini? Cõtra hanc crucis doctrinam quidam sic tendit: Magistratus bona Dei creatura est, quemadmodum cibus & potus, in hoc à Deo constitutus, vt eo tanquam instrumento aduersus iniuriam vtamur. Quia igitur sic medium est, vt caro & vinum: ergo eo vti licet, sicut & carne & vino vtimur. Respondeo: Magistratum medium quidem instrumentum esse à Deo aduersus iniuriam constitutum, verumtamen aliter quàm carnem & vinum. Magistratus enim tale medium est, quo nobis ad nostram iniuriam propulsandam vti est vetitum: quemadmodũ etiam caro medium quidem est, ira tamen, vt si cum proximi offendiculo edenda sit, vetita sit: vt qui hoc in casu edat, in præceptum charitatis peccet. Itaque est vbi magistratu vti liceat, est vbi non liceat. Si proximo sit commodandum, hinc vti liceat: quemadmodum Moses absente Magistratu tutatus est fratrem suum aduersus Aegyptium, & Abraham fratrem suum aduersus reges. Aduersus violentiam tibi ipsi illatam hinc vti non licet. Sed Paulus prouocauit, inquit, Ergo nobis quoq; prouocare licitum est. Si prouocare autem, quod pars litis est, licet: tota igitur lite vti liceat. Respondeo. Plurimum interest tua causa litiges, an aliena. Iam diximus ex charitatis mandato nos debere hoc proximo, vt, si quem videamus iniuria affici, hunc tueamur: non quòd ille cui fit iniuria subornare aliquem aut instruere debeat, sed quòd tu, vel non rogatus facere id eius nomine debeas. Sic Paulus cum rem Domini ageret non suam, & despositum propugnaret non peculium, litigare & prouocare potuit: & si quando vsus esset,

pro fide sua etiam debuit. Nunc huic idem est, tua agas an aliena, an litibus utaris quatenus vetitæ sunt, an quatenus non vetitæ sunt. Non possit tamen pater filiorum gratia litigare hoc prætextu, quòd proximi gratia faciat: Nam parentes, domini sunt etiam filiorum: ac pro in filij peculium sunt parentum, pro quo litigare nõ licet. Sicut scriptum est, Siquis velit auferre tua, ne repugnes. Hæc omnia cum iste ignorarit, factum est ut vehementer peccarit, & toti Ecclesiæ ad peccandum autoramento sit. idque adeo contra se ipsum factum iuit: videlicet dum plus satis popularis videri studet in asserendis politicis, Christianismũ vulnerat. Hoc interim verũ est, Christianũ magistratum nõ esse vetitum, sed lites, iuxta illud, Et non potius apud sanctos? *Quo* circa si duo iudicium aliquod sine contentione à Magistratu velint, isti proposita simpliciter causa, Magistratu uti possent, si, ut dixi, Christiani sint magistratus: seu, ut Paulus loquitur, sancti. Isti enim componere (quod nunquã vetitum est) quærunt, non contẽdere. Alioqui christiano violentia omnis ferenda est, quam si cum ciuili lite propulsare possent, non debeat. Sed & priuata christianorum inter se compositio semper licita fuit. Is verò peccat, quòd quoslibet magistratus christianis licitos facit, quòdque forenses contentiones & compositionem non separat.

Expos-

EXPOSITIO IN ILLUD IOAN. V.

*Pater meus vsque modo operatur,**& ego operor.*

H VNC locum ita conspurcat ista natio, vt quis indignatione cogi possit ad scribendum, si nō charitate. Illi sic enarrāt: Duplicem esse operationē, conditionis, & conseruationis. Et conditionem quidē in principio mundi fuisse consumatam: conseruationis autem operationem adhuc ire. Verūm hoc commentū pro loco & indoctum est, & ineptissimum, neque coelū neque terram attingens. Quod quo euidētius pateat, meam ponam sententiam, vt ex collatione veritas collique scat: quæ per se sic potens est, vt pulso mendacio, ipsa cor violenter inuadat, expugnatisque præcordijs, mendacij sedem ipsa sibi deuendicet. Est igitur sententia mea hæc: Curarat Dominus infirmum hominem in sabbato. Id culpant Iudæi. Respōdet Iesus: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Quasi dicat: Vos me accusatis, vt qui hunc curando sabbatum fregerim: at eodem ore & patrem meum fracti sabbati accusatis. Ille enim hætenus operatur, ac proinde & ego operor. Quasi dicat, Cum ille me sibi per omnia similem genuerit filium, ergo quicquid ille facit, ego facio similiter. Cum autem curare ægros opus sit diuinæ virtutis, & ego id hodie fecerim: ego autem nil faciam, nisi idē faciat pater: pater igitur hūc ægrum pariter mecum sanauit. Proinde qui me accusat fracti sabbati, & patrem quoque accusat. Tantūm enim quæ ille facit & filius facit. Ita filius non diuinitatem suam probatam hoc verbo voluit, vt putant, sed suum factum per patrem, cuius.

autoritate omnia faciebat, voluit hac apologia excusatum. Ista erat sententia huius verbi cum accusatione quadrans. nec aliter esse potest, nisi fortè apud eos, qui nisi quod ipsi aiunt, nil rectum putant. Hic ultimus nodus mihi in Ioãne visus est: nã reliquos in Germanico scripto soluimus, ad Paulum igitur transeamus.

*IN ILLUD PAULI CORINTH. II.
Sic tamen quasi per ignem.*

CVM Papistæ iuxta Augustini sententiam, locum istum de purgatorio igne intelligerent, & Lutherani in hunc iunctis vmbonibus irent, detorqueñdus igitur aliquò erat, ne quod illi vellent esse videretur. Ergo ad tribulationem deflexum iuerunt: quod quàm sit indoctum, ex collatione apparebit. Dabimus autem germanum sensum, quem inde ab Apostolis vsque neminem video assequutum. Principiò igitur constat Paulum hic de ædificio Ecclesiæ & doctorum officio agere, idque perpetua quadam allegoria. Doctores vocat ædificatores, Ecclesiam autem ipsum ædificium, seu domum: Aurum, argentum & lapides preciosos, probam illorum doctrinam: ligna, fœnum, stipulam, improbam doctrinam vocat. Tanta porrò allegoria in fine quarti capituli se operum omnium ædificantium doctorum, venturum dicit cognitorem, hoc est, examinatorem. Breui inquires veniam & cognoscam, hoc est, examinabo istos, scilicet doctores vestros. Id enim hoc loco cognoscere est. Atque hanc suam examinationem, in allegoria ignem probantem appellat, item diem. Quemadmodum enim ignis se-
parat

parat argentum à scoria, exurens scoriam, lignum, fœ-
 num, stipulam: ita Paulus sua examinatione doctrinã
 illorũ improbam exureret & condemnaret, & impro-
 bos operarios à probis separaret, iudicaretque. Et
 quemadmodum dies discernit & dijudicat colores
 nocte cõfufos: ita Paulus suo aduẽtu veros doctores
 cum ipforum doctrinã à non veris separaret. Diẽ enim
 vocat, non diem aduentus Domini in iudicium, sed
 fui aduentus ad iudicium: vel sanẽ tempus diem vo-
 cat, ex illo Græcorũ prouerbio ἀγχι δὲ πρὸς τὸ φῶς ἀλήθειαν
 χρόνος. Intelligit autem, vt dixi, diem aduentus sui ad
 illos. Veniam inquit, & cognoscam istos. Sequitur:
 Si cuius opus (examinatum videlicet) manserit vtĩ
 probum, is mercedem accipiet: hoc est qui doctẽ, fi-
 deliter & prudenter in apostolatu suo egerit (id enim
 requiritur in œconomis) mercedem suã in officio fi-
 dei habebit: iuxta opus suum enim iudicabitur,
 mercedemque accipiet. Quòd si cuius opus exustum
 fuerit, opus hoc damnum patietur, videlicet tempore
 examinationis meã. Examinatione enim sua Paulus
 damnaturus, & quodammodo exustus erat illam
 mali dogmatis superædificationem: hæc superædifica-
 tio exureretur, ac proinde opus detrimentum patere-
 tur. Aedificator enim oleum & operam, quod aiunt,
 perderet: ipse tamẽ saluus foret, sic tamen vt per ignẽ:
 hoc est, si examinatione correptus resipisceret. Hunc
 ignem ego huic nationi hodie, & in hoc loco & in om-
 nibus alijs struxi. Etenim dies est, quo Dominus sedet
 conflans & purgans filios Leui, id est doctores populi
 sui: si velint, resipiscant: vt autem id non velint, opus
 tamen poenas dabit. Neq; enim super mendaciũ fuit,
 inquit Sapientia, neque vsque manebit. Sed quemad-

Eoph. 3.

modum scripsit de Christo Esaias: Regnabit Dominus dum eijciat (omnis mendacij) iudicium ad victoriam. Et quemadmodum alius propheta dixit: Nugas eorū qui à lege recesserunt colligam. Postquam autem ignem doctorum expediuimus, ad votum igitur viduarū transeamus.

D E P R I M A F I D E .

AUGUSTINVS libro de Bono viduatus capite IX, hāc fidē malè de voto pudicitiae viduarū intellexit: alioqui (mea quidem sententia) rectè sentiēs de bono pudicitiae. Sic autem scribit: Postquam virgo aut vidua continētiam (pudicitiam dicere debebat) semel expetiuerit, elegerit, & voti debito (Deo) obtulerit, iam non solum capeffere nuptias, sed etiam si nō nubat, nubere velle damnabile est. Nam vt hoc monstraret Apostolus non ait, Cum in delitijs egerint, in Christo nubunt, sed nubere volunt, habentes inquit, damnationem: quoniam primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, tamen volendo. Non quòd ipse nuptiae talium damnandae iudicentur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracti voti fides, damnatur non susceptio à bono inferiore (idest, ex rupta fide pudicitiae) postremò damnatur tales, nō quia coniugale fidē posterius inierūt, sed quia pudicitiae primā fidē irritā fecerūt. Hæc Augustinus. Equidē pluribus inibi hanc sententiā agit. Lutherus autē cū plerūque sit Augustinianus, hīc tamen ab illo dissentit. Nā quòd ipse hanc primā fidē de fide iustificante intelligit, & non de fide pudicitiae, id planè coactū est. quā sententiā, vt ipse primus habet, ita sine alicuius docti suffragio, inuito Paulo possidet. Sed vt ista clariora etiam fiant nostrā dabimūs

dabimus sententiam.

Ac principio quidē Apostolus hīc neq; de fide iustificante loquitur, vt Lutherus, neq; de fide pudicitiae vt Augustinus autumat: sed de fide, seu voto officij loquitur. Viduatus enim eo tempore officium in ecclesia erat, in hoc consistens, vt peregrinos fratres honestē acciperent hospitio. Priusquā autem hoc officij illis delegaretur, fidē dabant se in eo fore fideles. Hanc fidem Paulus hīc fidem primam intelligit, quam quia Deo datam postea rumpēbant: ergo quā huius, damnationē illas habere pronunciat. Hoc enim sciendū hīc, quōd dupliciū viduarum hoc capite mentio fiat. Prius pauperum, deinde istarum in officio existentium, quibus de agere incipit ab eo loco, Vidua eligatur. Quia autem Paulus illis vitio vertit quōd nubere postea voluerint, clarissimū est, & esse potest, hanc conditionē in voto intercessisse, vt quæ officium semel susciperet, dum in eo permaneret, nō nuberet. Alioqui enim cur illis nuptias exprobraret? Tametsi autē fides non daretur potissimū pro pudicitia seruāda, sed pro officio delegato, tamen hęc officij fides includebat in se pudicitiae seruandę fidem. Atq; ex his omnino patet illo tempore seueriorem fuisse in ecclesia disciplinā. Etenim cui officium aliquod cōmittebatur vt ipsum perpetuaret, non vt, cum ipse vellet, deponeret, sed cum ecclesia, vnde acceperat, vellet. Quare & Paulus Demā damnat, qui mundum amplexatus, susceptū semel apostolatus officium abieciisset. Quod quid aliud erat, quā, vt hīc dicit, primam fidem reliquisse? Hoc Christus vocat, manu aratro admota, retrō respicere. Vnde & Paulus iam immolandus gloriatur se fidem seruasse, & quam fidē intelligat addit: Certamē bonū certavi; cursum, inquit

2 Cori. 4.

Matt. 24

ens, cōsumauit, de Apostolatus fide satis clarè se locutū innuens. De hac loquitur prima Corinth. 1111. In œconomio hoc tantū requiritur, vt fidelis inueniatur. Ab hac officij fide seruata, dominus quoq; seruum illum fidelem vocauit: illum autem qui officium non facit, hunc hipocritā appellat. Qui autem officium planè deserit, hic non hipocrita, sed desertor & plane impius: sicut Demas & istæ viduæ. Sic Paulus Timotheo, depositum serua inquit, id est, quod tuæ fidei creditum est. Iudicat autē Paulus eas damnatas, & Sathanā secutas ex fructibus. Quia enim in officio sibi à Domino & Ecclesia cōmisso fuerunt infideles, quod tamen cum data Domino fide susceperant: ergo eas fidem etiam iustificante prodidisse sentit, Infideli, inquit, deterior est, & fidem abnegauit. Non enim de fide officij data, sed de fide iustificationis hîc duntaxat loquitur. Alio qui si primam fidem de fide iustificante intellexisset Paulus, quid opus fuerat apud Timotheum addere, habentes condemnationē? Neque enim id dubium erat, vel obscurum. Hunc esse Germanū huius loci sensum, nullus, spero, inficiabitur.

DE DUPLICI DEI IMAGINE.

Eph. 4.

Col. 3.

QUIA in prioribus articulis de imagine Dei diximus, proinde velut auctarij loco adijciendū erat, quòd quidā malè docēt, illā Gen. 11, imaginē candē esse cum illa Ephes. 1111, Induite nouū hominē, qui secundū Deū creatus est in iustitia & sanctitate, qui renouatur in agnitione Dei secundū imaginē eius qui creauit illū. Col. 111. Hîc enim dū has imagines sic confundūt, vehemēter indocti sunt. Loquitur enim per contentionem

contentionē Paulus in his suis locis nō obscure de duplici homine, veteri & nouo, carnali & spiritali, generato in carnē & postea regenerato in spiritū: & hominē, quem ad imaginē Dei factum his dicit locis, de nouo homine intelligit: qui cum ex Deo nascatur, ad spiritalē quoq; Dei imaginē fit, comparaturq;. Porro Moses in sua imagine non agit de spiritali homine, sed de homine carneo tunc facto, hoc est, de homine cōiugali, & cōmuni eiusdē substantia. Et quidem Moses imago carneæ substantiæ erat relinquēda, Pauli autē imago spiritui. Itaq; vtriq; imagini sua erat natura relinquēda, & sua loca. Ex illa Moses imagine Paulus hoc produxit, quod virū dixit imaginē Dei (patris videlicet) ac proinde virū caput vxoris esse: vt Pater Deus (quem suo more Deum vocat Paulus) caput est Christi. Has imagines ^{Cor. 8.} quia ista natio sic confundit, hoc indocta est.

IN ILLUD ISAIAE CAP. LI.

Posui verba mea in ore tuo, vt plantes cælos, & fundes terram, & c.

CUM Deus pater loquatur toto hoc capite, & identidem Christū compellet, iam iustum suum, iam brachium suum, vt qui nomine suo regnaret; vocans: Quemadmodum dicit, Prope est iustus meus, egressus est saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt. Cum, inquam, toto capite de Christo loquatur, tandem etiam ipsum his verbis affatur. Posui verba mea & c. Vt hinc disceremus & Christi officiū, & eiusdem authoritatē, nec non & verbi eius virtutē & efficaciam. Alioqui quis ausit sibi arrogare cœli & terræ aut populi christiani creationē præter filium? Cum igitur

omnia & verba & sensa ita aptè in Christum competāt iuxta veterem translationē: male igitur quidam fecit, qui malo ausu ista sic nouauit: Vt plantem in prima persona transtulerit contra ordinem & verborum & sententiæ. Quomodo enim quadret, posui verba mea in ore tuo vt plantem coelos? Non sic Hieronymus primū fecit. Cur non potius qui omnia cum patre, in nomine patris administrauit, etiam verba in nomine eius pronunciauit? Quemadmodum Heb. i scriptum est: Qui (Christus) portat omnia verbo virtutis suæ. Ne autem ad Sion (id est Apostolos) trahi possit, quasi Sioni posita sint verba in ore, id non ferunt circumstantiæ, vt plantes, & maximè illud quod dicit: Et dicas ad Sion populus meus es tu, cum constet Ecclesiam non esse Apostolorū, sed Christi: Qui enim habet sponsam ipse sponsus est. Vtrocunque trahat iste, indoctus est.

DE CYRO ISAIÆ CAP. XLV.

Hoc caput quidam totum Cyro applicauit, cū tamen ibi sint, si simpliciter agamus vt verba sonāt, quæ Cyrum omnino non ferunt. Primum illud: Rorate coeli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem. Deinde illud loquentis Domini Dei: Tantum in te est deus, & non est Deus absque te. Verè tu es Deus absconditus Deus Israel Saluator, cum cæteris illis coherentijs, vbi dicit, Ciuitatem meam ædificabit. Id quod de Cyro certè intelligi non potest: neque enim iste ciuitatem aut ædificauit, aut ædificari iussit, sed templum tantum, quemadmodum id sacræ testantur historiæ. Ista omnia ego, & quotquot vnquam fuerunt ante nos, de Christo intelleximus: iste verò contrà, totū caput Cyro tribuit. Ego
sic

sic sentio, prophetam sub figura Cyri, etiam Christū de-
 scribere voluisse (qui verus Cores, id est, pastor fuit)
 ita tamen sub figura, ut aliquando in apertum de Chri-
 sto sermonem exierit: cuiusmodi sunt hæc loca iam di-
 cta: quæ nisi quis violenter torqueat, ut iste facit, ad
 Cyrum spectare non poterunt. Primum enim necesse
 habet, ut pro, in te, cum te legat, contra Hieronymū &
 Septuaginta: quibus, opinor, lingua ista paulo familia-
 rior fuit, quàm huic nupero eius colono: deinde con-
 tra ingeniū circumstantiarū in eo, Vere tu es Deus abs-
 conditus, apostrophā fictum iuit iste, cum inquit Hie-
 ronymus, etiam stultis perspicuū sit, vnum esse sermo-
 nis cōtextū, nec posse sensum diuidi, qui in ipso narra-
 tionis ordine & ratione coniunctus est. Neque credi-
 bile est, Apostolos hanc falsurā fuisse admissores, ut
 pro in te, cū te legeretur. Hic enim habemus obigna-
 culū illorū summorū locorū apud Ioannē & Paulum,
 viros nostræ professionis peritissimos. Primū vbi Ioan-
 nes dicit: Philippe nescis quod pater in me sit, & ego in
 patre? Et itē, pater in me manēs ipse facit opera. Paulus
 quoq; Deus inquis erat in Christo. Cū igitur Hebrai-
 cus textus cuius iste vult videri vindex, habeat, in te, nō
 ferēdū est, ut cū textus iniuria his locis suū auferatur fun-
 damētū. Similiter illud quoq; quod prius dixit: Salua-
 torē rorasse de super, & hīc illū Deū vocet, & eodē no-
 mine quo antē, Saluatorē, quis nō malit hanc textus cō-
 uenientiā amplecti, quàm licētiosas istas torsuras: præ-
 fertim cum videamus toto capite, patrē ita in filij expa-
 tiationibus versari? Alioqui si totū caput ad Cyrum fle-
 ctere obstinauit, quomodo tandem id quod propheta
 in fine capitis ponit, Cyro accōmodabit? Illud inquam:
 Ad eum veniēt, & cōfundētur omnes qui repugnabant

illi. Videlicet enim id mulier illa inficiabitur, quæ resec-
 tum victi Cyri caput, in vtrém sanguine plenū tingēs,
 sic affatur: Sanguinē sisti, sanguinē bibe. Aut vbi illud
 relinquet, quod ibidem pater addit, In Domino iusti-
 ficabitur, & laudabitur omne semen Israel? Et si in toto
 capite nulla fuit Christi mētio, quomodo illud illatiuū
 patris, ERGO: Ibi ergo in domino dicent, poterit habe-
 re locum? Omnino enim hic Dominus, Christus est, in
 cuius nomen qui credunt, patrē, & solum & verū Deū,
 cui soli omne imperiū & iustitia sit, agnoscūt. Aut si hīc
 ex abrupto dicit fieri mentionē Christi, cur nō ferat in
 media allegoria, manifestā eius cuius est fieri mētionē?
 Quod tantū abest vt absurdū sit, vt etiam congruum sit
 ad allegorię expositionem. Isto enim modo fit, vt quò
 spectet Cyri allegoria, clarius cognoscatur. Mea igitur
 sententia sermo iste de Cyro sic cōstitutus est, vt simul
 in se habeat Christi descriptionē, aliam quidē allegori-
 cē, aliā autem planē & apertē. Et quemadmodū quędā
 sunt quę solum Cyrum cōcernant, vt illa: Et me nō co-
 gnouit: ita rursus ibi quędam esse, quę solum Christum
 tangāt: cuiusmodi sunt quę antē dixi. Cum igitur caput
 hoc ita distinctē esset intelligendū, indoctē facit iste,
 qui omnia, ceu amussi alba, ad vnum Cyrum impertinē-
 ter detorsit. Docti scribē est, videre quid in eiusmodi
 allegorijs allegoricū sit, quid historicū: & relinquere li-
 teram in sua veritate, nō violare: vt iste, qui ex claris bo-
 nis plerūq; obscura fabricat, non admodū bona. Vt e-
 nim sciatis, non hoc tantū loco prophetiam sic intexuit
 propheta, sed cap. v r i idem lusit, vbi Christū de virgi-
 ne concipiendū dixit & nasciturū. Quòd si tam rigidē
 contextū appellemus ibi, quàm hīc facit iste, nimirū il-
 lius ibi, vt huius hīc prophetię iacturam fecerimus. Id
 quod

quod etiã Iudei vtrobiq; æquè moliũtur . Et fanè tã mĩ
ra illa ibi immiffura est, quã ista hĩc est . Siquidẽ igitur
illã inuito cõtextu Christo damus, quin & hãc demus?

IN ILLUD ISAIÆ CAP. LII.

*Verbum Domini manet in
Æternum.*

NEC hoc prætermittendũ erat, quòd illũ versiculũ
VERBUM domini manet in æternũ, iste eò flexit,
quòd Euangeliũ inuitis victisq; omnibus aduer-
farijs, pertẽsurũ effet cursum suum per vniuersum ter-
rarũ orbem. Quasi verò hi loci de huiusmodi pertẽsio-
ne cursus verbi sint intelligendi, & non potius de eo,
quod Deus significat, credentibus verbum se seruatu-
rum. Quẽadmodũ cap. XLV, Iuravi, inquit, per memet-
ipsum, quod verbũ iustitię egressum de ore meo, non
rediturũ sit ad me vacuũ: id est, ego certissima fide sta-
turus sum verbo, vt qui illi credit, huic mansurũ sit in æ-
ternũ. Hic est proprius sensus horum locorũ, quẽ cum
sint scitu vnice necessaria, & maximè consolatoria, non
ferendũ putabã, vt vel festuca improprij sensus illis in-
ferretur, nedum iste trabes. Stat enim Esaias hĩc in pul-
cherima antithesi, Omnis caro fœnum, sed Verbũ Do-
mini manet in æternum: quemadmodũ etiam Petrus
composuit. Quasi dicat, carne & operibus carnis nihil
efficitur, neq; hæc manent in æternum, hoc est nõ sub-
sistunt in tẽtatione, aut iudicio: Verbũ Domini autem
istud manabit, firmũ credẽti instrumẽtũ quo fidat, cuique
innitatur. Staturũ enim se verbo suo Deus iuramẽto cõ-
dixit, idq; per semetipsum, vt, ni faciat, se ipsum abiura-
rit, quod sit impossibile. Tametsi hoc quoq; interim ve-
rũ est, quòd qui repugnãt Euãgelio, aliquãdo Christo


& suis sint subijciēdi: quēadmodū scriptū est: Gēs quæ te non receperit, peribit. Verū hinc non sequitur, eos si de recepturos, aut euāgeliū adoratuos. Subijci enim gladio, aut alio quodam iudicio possunt, qui se verbo subijci Christo nolunt. Igitur sic habet. Qui se Christo nō subdit verbī fide, is se plagis: subdere illi debet. Verum ista iste confundit, & omnem omnium nationum subiectionem verbo futuram putat, quod quā verū sit (ni vehementer fallor) propediem isti sensuri sunt. Cæterū hoc pacto implere debuit illud Esaię verbum: Et erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius, de quo supra. Ista atq; id genus alia ille sic effutit, quæ deinde spargūtur per orbē, spargūtur per Ecclesiā. Quod si ius sedentiū iret, cogeretur ille eiusmodi vel tacere, vel nō impunē adeo effutire. Illas porro minutias illi donamus vt cap. x x x i i i i Esaię Idumæā, Synagogā Israel, id est, Iudæā esse, affirmarit. Credant id qui illi quidlibet credunt, mihi Idumæā hoc loci Iudæā esse non fit verisimile. Postremò quod Esaię Leviathan dicit esse Cete, hoc, quia illū priuatim monui, nō putavi hīc repetēdū. Sic filios Dei Gen. vi. iustos fuisse somniat, cū Gigantū gentē Moses intelligat, quem admodū solet immensitatē significare adiectio Dei, vt cedros Dei, montes Dei, & sonitū Dei legimus. Has inquā minutias, ne omnia prescusi videamur, illi donamus. Quod si hæc quantulacunque loca cautiorem erga hos reddant lectorem, sat habemus.

B A S I L E A E

P E R P E T R V M P E R N A M


F I N I S

155177



ALTA IOVIS VOLUCRES MER
TO IOVIS NATALVM NO
QVOS VOLVIT TERRAE PROV
BYSESSE ORBES





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



phetias

Daniele &

ND I

STI^m

S